DE

MAXIMILIANO A BERGIS

CAMERACENSI ARCHIEPISCOPO

THESIM

Proponebat ad doctoris gradum promovendus

G. CARDON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS
APUD FELIX ALCAN EDITOREM
108, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCII

MEMORIÆ

DOCTISSIMI VIRI OPTIMIQUE MAGISTRI

FUSTEL DE COULANGES

Pietatis causa

SACRUM

DE

MAXIMILIANO A BERGIS

CAMERACENSI ARCHIEPISCOPO

THESIM

Proponebat ad doctoris gradum promovendus

G. CARDON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD FELIX ALCAN EDITOREM

108, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCII

PROŒMIUM

Cum dux Albanus, victo Orangio et in Galliæ fines repulso, Bruxellas ferocior rediisset, Maximilianus a Bergis[1], archiepiscopus Cameracensis, Richardotus, episcopus Atrebatensis Morilloniusque, Mechliniensis ecclesiæ vicarius generalis, clericos suarum provinciarum plurimos, congratulandi causa, ad eum adduxerant (Januar. 1569). Atrebatensis episcopus qui, Maximiliani comitumque suorum nomine, verba habuit, postquam laudibus assuetis functus est, veniam generalem a Duce victore petiit pro Belgis qui tunc hæreseos aut seditionis crimine tenebantur, adeoque miserabili sermone clementiam laudavit, ut fletum plerisque moverit[2].

In bellis enim civilibus, quæ catholicam Ecclesiam tunc in Belgio concusserunt, fuerunt episcopi qui maximam adhibuerint moderationem. Nec religionis libertatem, quæ ab eorum et dignitate et temporibus abhorrebat, nec Albana supplicia probarunt : quippe qui multo plus valere preces, sermones et doctrinam sentirent quam arma et judicia. Tertiæ quasi factioni præfuerunt, quæ una prudens catholicæ Ecclesiæ Philippique regis adversarios inter et hispanos ministros in pacificationem se interpo-

1. In litteris sexto decimo sæculo scriptis sæpius *de Berghes* legitur : nonnunquam autem modo *de Berges* (*Corr. de Granvelle*, I, p. 17), modo *de Bergués* (*Ibid.* I. p. 45), et urbs Berg op Zoom, unde Maximilianus nomen duxit, nunc *Berg* (*Ibid.* II. p. 464), nunc *Berghes* (*Ibid.* II. p. 79 et 499) dicitur.

2. *Corresp. du cardinal de Granvelle*, III, p. 434-435.

suit. Neque semel illi dederunt operam ut Rex certior fieret quomodo res vere in Belgio se haberet quidve reipublicæ interesset; fuerunt etiam qui ipsis Regis ministris, ob necessitatem aut dignitatem, consilia haud sine quadam libertate afferre sint ausi: in primis Maximilianus a Bergis, Franciscus Richardotus, Rythovius, episcopus Yprensis, Vendvilliusque episcopus Tornacensis : quorum tamen nonnulli sedem suam aut dignitatem consecuti erant e nova Belgicæ Ecclesiæ constitutione, quæ non parum momenti habuerat ad cives in Philippum regem concitandos.

Inter illos Ecclesiæ præsules unum maxime Maximilianum a Bergis in lucem proferre aggrediar, non quod ingenio aut doctrina Richardoto, Vendvillio Rythovioque, qui et summi episcopi et insignes theologi et oratores fuerunt, antecellat, sed quod, quanquam rebus Belgii non modo ecclesiasticis, verum etiam civilibus sæpius nec sine auctoritate interfuit, Maximiliani memoria pæne excidit. Quotiens tamen ejus nomen in sexti decimi sæculi litteris legere licet! Ille certe vir conspicuus in Belgio fuit, qui e tribus metropolitanis sedibus unam obtinuit et, postquam Granvellanus, archiepiscopus Mechliniensis, secessit, in Belgica ecclesia quasi principatum non sine invidia consecutus est[1].

Plerique vero, quoad vixit, de eo recte nec judicaverunt nec judicare potuerunt, ira aut studio occæcati. Immo qui se in pacificationem inter duas factiones pariter feroces interposuerit, a neutra æquitatem sperare potuit. In litteris ad Granvellanum scriptis, Morillonius Maximiliano induit tantum speciem fallacis episcopi, fluctuantis, inepti et intempestive garruli, qui, adversariorum Regis amicus, Regem ejusque ministros prodit.

Res sane alieno animo interpretanti Maximilianus istis criminibus dignus videri potuit. Multæ autem eum causæ

1. *Corr. du cardinal de Granvelle*, II, p. 127 et 245.

historicis commendant. Primus enim archiepiscopus Cameracensis fuit; non modo vehementer Regem ducemque Albanum hortatus est ut veniam generalem promulgarent, sed et ipsi ut legato pontifex maximus misit bullam qua veniam approbaret; neque modo archiepiscopus magnæ Belgii partis fuit, sed et Germaniæ princeps, quæ inter hæresim et catholicam ecclesiam tunc divisa erat; idem et rector civilis aut ecclesiasticus quarumdam civitatum, velut Castelli Cameracensis aut Valentianarum, quas ita hæretici perturbarunt ut in tempus ibi rerum sint potiti. Adde quod, præsidiarius inter Belgium et Galliam interjectus, Galliæ fines speculabatur, ubi frequentes Condæo duce hugonotorum cœtus erant, et de eorum consiliis sæpe Margaritam aut Albanum monuit; auctoritatem enim aliquam habuit apud Regem ejusque ministros, summo loco natus; una Granvellano et nonnullis rebellatæ factionis ducibus familiariter usus est; denique obitus non minus quam vita eum insignem probavit: non modo dux Albanus cum laude ad Regem Philippum, sed et legatus Galliæ ad Carolum IX defunctum Maximilianum statim rettulit[1]. Itaque cum Maximilianus a Bergis gravioribus negotiis implicatus fuerit et cum compluribus factionis utriusque viris conversatus sit, operæ pretium est quærere quomodo personam in discordiis Belgicis pacificam gesserit.

1. De Cameracesio ecclesiaque Cameracensi

Maximilianus a Bergis, qui et dux Cameraci comesque Cameracesii et episcopus et, post annum 1562, archiepis-

1. Gachard, *La Bibliothèque Nationale à Paris*, II, p. 494.

copus fuit, alia in Cameracesio auctoritate comes, alia in Cameracensi diœcesi episcopus, alia in metropolitana provincia archiepiscopus usus est. Primo igitur Cameracesii totiusque in Belgio Cameracensis archiepiscopatus fines describendi sunt, ut dijudicetur ubi majus, ubi minus imperium obtinuerit, quibus civitatibus Cameracesii comes, quibus episcopus, quibus archiepiscopus præfuerit.

Cameracesium exiguum erat et cum illa nostræ Galliæ parte, quæ nunc « arrondissement de Cambrai » dicitur, prope congruebat[1]. Ad Imperium Germanicum pertinebat, et qui episcopus ab ecclesiæ Cameracensis capitulo delectus erat, Cameracesii comes et Imperii germanici princeps ab Imperatore confirmabatur. Reipsa autem, quanquam tributa quædam ab eo Imperator exposcebat eumque ad Germaniæ comitia advocabat, nemini Cameracesii comes obnoxius erat. In Cameracesio suo quasi infinita potestate utebatur : Cameraci ipse scabinos deligebat et per præpositum civitatem in lege sua tenebat ; cum capitulo tantum, a quo delectus erat, episcopo nonnunquam controversia fuit de rebus quæ non ad ecclesiam, sed ad civitatem pertinebant : capitulum enim obstabat ne, ipso non assentiente, episcopus vectigal indiceret. Extra Cameracum, Castello Cameracensi comes castellanum præficiebat qui sua jura, Othonis III diplomate anno 1001 firmata, pacemque civilem tueretur; ibi quoque scabinos deligebat, a quibus oppidani scabinos Cameracenses appellabant. Nec Cameracesii statibus comitis auctoritas deminuta erat : ordines enim, qui erant clerici, nobiles civitatumque delegati, tantummodo de Cameracesii utilitatibus deliberationem habebant, nec sicut Belgii provinciarum ordines videntur comiti negotium exhibuisse.

Cameracesium pars minor, circiter octava, Cameracensis episcopatus erat. In Cameracesio enim erant tantum decanatus Cameraci, Castelli Cameracensis Bellomansique pars

1. Le Glay, *Glossaire topographique de l'ancien Cambrésis.*

minor; sed extra Cameracesium episcopo obnoxii erant decanatus Haspræ, Valentianarum, Avenarum, Malbodii, Bagaci Nerviorum, Bintii, Montium, Cerviæ, Hallarum, Lessinæ, Sancti Brixii Bellomansique pars major. In Cameracesio, eo majorem auctoritatem episcopus habebat, quod episcopus idemque comes erat. Sed extra Cameracesium, provinciarum Belgicarum episcopus erat, et in illa majore suæ diœcesis parte ecclesiasticis tantum muneribus fungebatur. Gubernatori universi Belgii obnoxius est, cujus quasi minister mandata exsequitur et episcopo vix se subjiciunt civitates, quæ, copia negotiatorum et commeatuum divites, prope ad liberam administrationis formam accesserant et privilegiorum magis quam religionis studiosæ erant : magistratus qui diligentissime catholicam fidem servaverant, episcopo repugnabant, qui de legibus civitatis aliquid deminuere videretur. Cum Valentianas Maximilianus ivit ut hæresim exstirparet, minus illi de hæreticis quam de civitatis privilegiis, quæ episcopo calvinianos tradere nolebat, agendum fuit.

Cameracensis diœcesis dimidia circiter pars erat metropolitanæ provinciæ, ad quam, præter Cameracensem, Atrebatensis, Tornacensis, Audomaropolitana Namurcensisque diœceses pertinebant, inter Galliam Belgiumque, a Gravelinga, Flandriæ portu, ad Namurcum Mosamque fluvium [1].

Archiepiscopus dignitate magis quam auctoritate supra ceteros episcopos eminebat, et tantum in synodo provinciali, quæ anno 1565 Cameraci habita est, vere archiepiscopum Maximilianus gerere potuit : synodo non modo præsedit, sed etiam ab omnibus suæ provinciæ præsulibus impetravit ut decreta Tridentina acciperent. Sed plerumque archiepiscopi quasi extra jus dominiumque suffraganei erant : frustra eos Maximilianus in synodum vocare ador-

1. Le Carpentier, *Histoire de Cambray et du Cambrésis*, II, p. 431. — *Gallia Christania*, t. III. — Michaux, *Notice historique sur les circonscriptions ecclésiastiques anciennes et modernes du diocèse de Cambrai*, p. 8.

tus est, qui aut capitulis ecclesiæ suæ resisterent aut a rege peterent ut edictis in hæreticos latis laxamentum daret. Immo minus est archiepiscopo auctoritatis, si quis suffraganeorum doctrina et virtute conspicuus est : cum Maximilianus Cameracensem sedem obtinebat, tunc Atrebatensis episcopus erat Richardotus, qui eo tempore præsulum in Belgio erat præstantissimus : itaque illi quasi obsequi Maximilianus sæpe videbatur, illius consilia exquirebat : ut suum archiepiscopum Atrebatensis vituperaverit, cum Maximilianus a Granvellano dissidere dictus est. Et ipse Maximilianus queritur quod Richardoto, non sibi Margarita mandaverit ut monasterium quoddam visitaret.

In summa, Maximilianus, quo minoribus præerat finibus, eo majore utebatur auctoritate : parvi comitatus domino auctoritas erat magna, majoris diœcesis episcopo minor, et maximæ provinciæ archiepiscopo fere nulla. Episcopus Cameracensis, quanquam Germanici Imperii princeps erat, ad Belgium præsertim pertinebat, in quo non modo metropolitanæ, verum etiam episcopalis diœcesis pars erat, nec potuit Maximilianus a Bergis Belgicis tumultibus non se immiscere.

2. Quare Cameracesium sexto decimo seculo Germaniæ, Belgiique et Galliæ historiæ adscribendum sit.

Cameracesium, tam arctis finibus quasi inclusum, terra Germanica inter Belgium et Galliam sita erat et, ab anno 1482, auctore episcopo Henrico a Bergis, inviolabile et ab omni contentione tutum a Ludovico XI et Maximiliano Austriaco habitum est : ita episcopus, ait Le Carpentier,

Cameracesium fecit regnum justitiæ, pacis et abundantiæ, quod quasi orbis terrarum miraculum videbatur, et, ut Stradæ verbis utar, « fatalem sedem pacificationibus fœderibusque firmandis [1]. » Attamen a bellis, quæ sextum decimum sæculum religionis causa turbaverunt, abstinere non potuit : etenim ad tria regna, ab hæreticis diu agitata, pertinebat, et ad Germaniam, cujus Cameracesium pars erat, et ad Galliam illi continentem (adde quod ante annum 1562 Cameracensis ecclesia in Remensis provinciæ dicione erat) et ad Belgium, quod ex parte Cameracensi archiepiscopo erat obnoxium. Itaque Cameracesii historia tunc Germaniæ, Belgiique et Galliæ historiæ quasi adscribenda videtur.

Etenim episcopus a capitulo delectus simul dux Cameracensis et comes Cameracesii, id est, cum Imperatoris confirmatione, Imperii Germanici princeps fiebat : ab initio undecimi sæculi comes, nam Henricus II Imperator episcopum comitatu Cameracesii donavit (1007)[2], et, quinque post sæculis, Maximilianus Imperator, « attendens multiplicia merita virtutum » Jacobi episcopi, eum « in verum ducem Cameracensem erexit, illustravit, insignivit et decoravit »[3].

Sæpe autem non idem et a pontifice et ab imperatore confirmatus est : anno 1502, Jacobum Croium pontifex, Franciscum a Meloduno Maximilianus confirmavit, et tantum cum Philippus dux, Imperatoris filius, a Francisco impetravisset ut cederet, Jacobus Croius Cameracensem sedem anno 1504 obtinuit. Sed quanquam Imperatoris confirmatione comiti Cameracesii opus est, et, ut supra diximus, tributa quædam Imperio comes solvit comitiisque Germaniæ adest, minus Germanicis rebus quam Belgicis se immiscuit. Et, cum in Germania et in Belgio non eadem religionis esset condicio, libentius se archiepiscopum Belgicum quam Germanum principem habuit : in Belgio

1. Strada, *De Bello Belgico*, I, p. 25. (Antverpiæ, 1640.)

2. *Gallia Christiana*, Instrum. Eccl. Cam., t. III, p. 1.

3. *Ibid.*, t. III, p. 7-9.

enim hæreticis acerrime repugnatur, in Germania autem ea fuit hæreticorum vis, ut cum iis transigendum fuerit : iis multa pax Augustana concessit : ac quanquam semper Castelli Cameracensis incolæ contenderant se extra Imperii dominium esse, videbimus in hujus oppidi tumultibus calvinianos secundum illam pacem liberum cultum deposcentes, quippe qui omnibus Imperii Germanici legibus essent obnoxii. Item Philippus Rex Hispaniæ et Maximilianus Imperator ecclesiæ catholicæ non sunt eodem modo studiosi. Philippus enim vehementer eam tuetur, Maximilianus autem et hæreticis indulgere et in Hispanos tam alieno animo esse visus est, ut Belgii Imperio Germanico subjiciendi mentionem auribus admitteret [1]. Cum coronam accepit Maximilianus, Francofurtum Philippus legatum misit non Orangium, qui hoc munus petierat, sed ducem Areschoti, qui novum Imperatorem oraret ut ecclesiæ catholicæ patrocinaretur[2].

Fere autem invitus episcopus Cameracensis in Belgii principum dicione erat. Plura enim inter vicinos reges bella erant quam ut Cameracesium vere inviolatum esset, ac major Belgii principum cupiditas quam ut illam regionem non appeterent[3].

Sensim et sub umbra patrocinii principes Belgii suo imperio Cameracesium si non jure, at re adjunxerunt. Anno 1164 primum, quos agnovisset Imperator comites Flandriæ semper Cameracesio operam tribuere, eos Cameracensis ecclesiæ præsides instituit, ac pro illo præsidio ecclesia comitibus Flandriæ vectigal annuum solvit [4]. Castello autem a Carolo V exstructo, Cameracesium quasi duodevicesima Belgii provincia fuit. Eo tempore haud procul

1. Groen van Prinsterer, *Archives ou Correspondances inédites de la maison d'Orange-Nassau*, t, I, p, 25.

2. V. cap. III, *De Maximiliano Imperii Germanici principe.*

3. Strada, *De Bello Belgico*, I, p. 31.

4. Le Carpentier, *Histoire de Cambray et du Cambrésis*, I, p. 102.

a Cameraco non sine magno labore cum regis Galliæ copiis Carolus pugnavit. Itaque milites, qui eas circumirent, Cameracum misit. Cum autem cives eos accipere noluissent, quod neutrius partis essent, Carolus episcopo et civibus iratus nuntiavit arcem se in oppido eorum sumptu muniturum [1]. Utilitatem etiam Cameraci et Cameracesii prætendit et crebras Gallorum incursiones, qui inviolabiles eorum fines sæpe temerarent; cum semper exercitum, qui Regem Galliæ a Cameracesio rejiceret, fructibus suis alere non posset, castellum se jussisse ædificari, salva quidem episcopi atque incolarum immunitate [2].

Non ita multo post, Carolus V Belgium ipsum sacro Imperio Romano subtrahere decrevit et simul Cameracum, quasi pars Belgii factum, eidem Imperio pæne subtractum est. Etenim pactio Augustæ Vindelicorum anno 1548 facta Cameracesium Westphalico, Belgium autem Burgundico circulo adscripserat. Sed castellum Cameracense, quod reipsa erat Belgicum castellum in Germanica terra exstructum, tunc Belgio publice subjectum est. Granvellanus anno 1568 Philippo regi scripsit illam pactionem, quam ipse Caroli nomine fecerat, Belgium pæne liberavisse, nedum Imperio subjecisset; Carolum enim, per illam pactionem, Belgium et castellum Cameracense a legibus Germanicis servandis vindicare voluisse [3].

Quæ cum ita sint, res Maximiliani, quanquam sancti Imperii Romani princeps ac Cameracensis episcopus erat,

1. Tailliar, *Chronique de Douai*, II, p. 138-139.

2. *Archives départementales du Nord*, Série B, [2437, *Chambre des Comptes de Lille, Recette générale des Finances*, anno 1543, die 19 nov. — Gachard, *Analectes historiques*, IX, 140.

3. Gachard, *Rapport sur les Archives de Simancas*, *Correspondance de Philippe II*, Introduction CLXXXVII sqq. — Dumont, *Corps diplomatique*, t. IV, 2e partie, p. 342-343, CCXII : « Vocati Belgæ ad Imperii Comitia, liberum eis erit et manebit venire aut domi manere, ad Imperii tribunal Cameramque Imperialem inviti evocari non poterunt, nec ut se judicio ejus sistant, cogi. Eodem provocantem sequi necesse, nisi velint, non erit. » — Cf. *Papiers d'État*, III, p. 319 et 322. — Alex. Henne, *Le règne de Charles-Quint en Belgique*, VIII, p. 315-338.

potius historiæ Belgii quam Germaniæ adscribendæ sunt: non modo propter principum Belgii patrocinium aut castellum exstructum pactionemque Augustæ Vindelicorum, sed etiam quod Maximilianus ipse in Belgio natus est; quod, favente Granvellano, cujus tunc in Belgio potestas erat summa, Cameracensis episcopus delectus est et, cum, auctore Philippo Rege, archiepiscopatus prærogativa Cameracum exornatum est, idem archiepiscopus factus est; quod etiam Maximiliani nomen in litteris Philippi regis, Margaritæ, Granvellani aliorumque Belgarum crebro legere licet; quod unus maxime veniam generalem pro Belgis postulavit; quod denique episcopo Cameracensi subjectæ erant magnæ Belgii civitates, Bruxellæ, Antverpia, Namurcum, Gandavum, Brugæ, etc., et archiepiscopo Atrebatensis, Tornacensis, Audomaropolitanus Namurcensisque episcopatus.

Cum autem Maximilianus a Bergis episcopatum Cameracensem obtinebat, Belgium gravissimis seditionibus turbabatur. Cujus tumultus multiplices fuerunt causæ. Primum haud dubium est, ut Stradæ verba usurpemus, quin libertas, cui civitates jamdiu assueverant, cum aliquid de eis imminui et carpi visum est, magnos motus excitaverit. Philippus autem omnes Belgii ordines imprudenter attentavit, qui adversus eum conspiraverunt [1]. Civitates enim querebantur, absoluto Gallico bello, hispanos milites non a Belgio discessisse et licentia rixisque in limitaneis urbibus, per quas dispositi essent, populares infestare. Et hoc illam indignationem populi graviorem faciebat, quod ille optimates jam patronos Belgicæ libertatis existimabat eorumque, ait Strada, nutum observare impense cœperat [2].

Optimatibus autem indignationis causa primum ab æmulatione aulica fuit; apud Carolum Cæsarem et in aula et in armis primas obtinuerant; Philippus vero, et moribus et lingua in Belgio vere hispanus, advenit Hispanorum

1. Strada, *De Bello Belgico*, p. 55.
2. Id. p. 82.

procerum corona septus, qui totum Regis favorem occupaverunt; indignantur Belgæ (acceptis tamen a rege Provinciarum præfecturis) se « Hispanorum umbras videri, quæ illos comitentur et ad eorum nutum moveantur... An se domi suæ, loco moveri ab externis, tamque infra Hispanos reponi, spreta Belgarum dignitate, laturos [1]? »

Novis quatuordecim episcopis ad pristinos quatuor adjunctis, cum multis ex omni ordine hominibus, tum et veteribus episcopis res ingrata fuit, quibus termini contractiores et pontificales fructus tenuiores jam fuerunt, et præsertim abbatibus monachisque, quibus et jus potestasque ex suo ordine abbatis eligendi et opes novis episcopis tribuendæ ereptæ sunt; « adhibitos tunc quidem esse ad ea munera viros doctrina ac vita conspicuos mox e comitatu Principis assentatoribus asseclisque tam opulenta sacerdotia prædæ cessura [2]. »

Episcopi tamen illi abbatesque cum Rege Hispaniæ adversus seditiosos hæreticosque consenserunt. Præcipua turbarum causa hæresis fuit, quam in Belgium invexerant et Galli Germanique mercatores et Germani Helvetiique milites, quos superioribus in bellis contra Gallos Carolus Cæsar ejusque filius conscripserant, « nec, ait Strada, plus aquarum e Germania Rhenus, Mosa e Gallia vehebant in Belgium, quam inde lutheranæ, hinc calvinianæ contagionis in easdem Belgarum provincias iidem amnes importabant [3]. » Adde et Anglos hæreticos qui, Maria regnante, in Germaniam inferiorem quasi ejecti, novas ibi colonias posuerunt, et Anabaptistas qui e Westphalia Frisiaque migrabant. Diu incorrupti Belgæ plerique fuerunt: cum autem et auctus est episcoporum numerus et publicatæ sunt in hæreticos Cæsaris tabulæ, et impositi Fidei Quæstores, tunc hæc omnia in libertatis perniciem conspirare

1. Strada, p. 73-75.
2. Id. p. 57.
3. Id. p. 70.

et incorruptis visa sunt, qui cum hæreticis studia facile conjunxerunt [1].

Carolus Cæsar, qui in Germania vix hæresi restiterat, in Belgio radicitus eam exstirpare decrevit. Intra triginta annos (1521-1550) tabulas undecim in hæreticos promulgavit et in undecima cunctas ceterarum pœnas collegit (die 25 mensis sept. 1550) : jussit enim hominibus præcidi caput, mulieres vivas sub terram defodi, pertinacesque vivos comburi, neque judices pœnas levare ob eam causam quod graviores essent et tantum in hæreticorum terrorem edictæ. Ubi regnum accepit, patris tabulas Philippus confirmavit; novas ipse postea publicavit, quarum Maximilianus a Bergis laxamentum requisivit. Quinetiam, ut illa edicta severe servarentur, Philippus Hispanos Fidei quæstores in Belgium dicebatur missurus, quos horrebant Belgæ, non quod duriores indigenis quæstoribus essent, sed quod occultiore inquisitione, tormentis suppliciorumque pompa omnium animos consternabant. Attamen Rex alienigenis tantum ad hæreticos comprimendos confidebat, cum in Belgio magistratus nobilesque provinciis præfecti ægre id negotii in sese suscipere et episcopi benigniores timidioresque viderentur.

Ita igitur immodico illi Hispanorum imperio et hæretici et nobiles restiterunt, ut res omnino in Belgio perturbatæ sint, statuæ dissipatæ, ecclesiæ temeratæ, monasteria vastata et nobiles ad Granvellanum detrudendum mitigandaque edicta fœdera conscripserint.

In his tumultibus, Maximilianus a Bergis, qui semper ab iis qui armis et suppliciis pacem in Belgio restituendam contendebant dissensit, idem, tanquam sibi non consentiret, aliter Granvellano, aliter Margarita, aliter Albano gubernante se gessit.

Etenim Rex, in Hispaniam profecturus, Margaritæ Granvellanum præcipuum regiminis instrumentum reliquerat,

1. Strada, p. 72.

addideratque « e re Provinciarum fore, si hunc quam ceteros in consilium crebrius adhiberet. » Et vere dignus erat Granvellanus quem in omnibus publicis rebus Margarita audiret. Avaritia quidem et superbia Belgas, nobiles præsertim, offendebat; sed ei voluntas constans erat et multus Belgarum Belgicarumque rerum usus; consulendo et agendo audax erat et publicæ regiæque utilitatis studiosissimus nec non suæ. Attamen anno 1564 Granvellanus e Belgio a rege evocatus est, quod in eum omnium odia convenerant, non modo nobilium, Orangii, Egmontii Hornanique, qui adversus eum ter Philippo regi scripserunt, fœdera conscripserunt libellosque famosos sparserunt, sed etiam Margaritæ, quæ primum Granvellano maximam gratiam habuit, postea superbiorem cardinalis auctoritatem ægre tulit. Maximilianus autem, ut qui multa Granvellano deberet, non poterat non esse cardinalitius : itaque ante annum 1564 rebus Belgicis parum interfuit, cum gubernanti Granvellano consilia dare non auderet : utpote cardinalitius, cardinali tantum obsequi studebat.

Post Granvellani discessum, Margarita, quæ, profecto in Hispaniam rege, gubernatrix designata erat, una rebus Belgicis præfuit. Tunc Maximilianus de rebus publicis liberius loquitur et jam moderationem clementiamque laudat. Ipsa autem Margarita non omnino a clementia abhorrebat, et cum anno 1567 de provincia decessit, Belgis ignoscendum Regi scripsit. Neque enim reipublicæ imperita erat. « Aderat ei non modo animus muliebrem condicionem supergressus, sed etiam habitus quidam corporis incessusque, quo non tam femina sortita viri spiritus, quam vir ementitus veste feminam videretur [1]. » Aderat quoque gubernatrici et magnum publicæ utilitatis studium et tunc rara abstinentia. Mane surgebat et cotidie duobus consiliis præsidebat, potestatem sui multis faciebat et de omnibus rebus Regi minutius scribere solebat. Quot et

1. Strada, p. 47.

quantis rebus, Margarita gubernante, Belgium turbatum est! Nobiles, profecto Granvellano, apud Margaritam præpollent et in Hispaniam mittitur Egmontius; mox autem iidem fœdera conscribunt, Rex litteras de seditiosorum hæreticorumque pœnis Segoviæ scribit, Gheusii libellum gubernatrici porrigunt, calviniani ubique palam ad prædicationes se conglobant, iconomachi sacra depopulantur, armis denique decertatur. Maximilianus a Bergis, qui ipse in Cameracesio suo et Valentianis contra seditiosos hæreticosque repugnabat, censebat etiam in Belgio eos qui arma moverent armis opprimendos, ceteros autem in regis ecclesiæque catholicæ dicionem adventu Philippi tabularumque abrogatione redigendos.

Extremo anno 1567 in Margaritæ locum successit Albanus. Peritus militiæ, amplissimum nomen sibi jam fecerat. Magis autem ignarus erat Belgarum ingenii morumque, quam ut eos gubernare posset. Ferox et superbus cum hoc populo convenire non potuit, qui natura est bonus, mitis verecundusque erga eos qui ipsum vereri et observare videntur, sed atrox et ultima ausurus, si quis fidem fefellerit aut ejus jura imminuerit. Albanus in Belgium hispanicam gubernandi rationem induxit. Eum constabat, quotiescumque in Regis concilio de Belgicis rebus actum esset, minis in Belgas usum esse, et, cum in Belgium advenit, omnes crediderunt eum jam secundum illas minas acturum esse. Itaque Granvellanus tunc scripsit pessimis formidolosum Albani adventum, optimis invisum [1]. Privilegia civitatum pro nihilo duxit nobiliumque animos offensioni pronos læsit. Antequam ex Hispania profectus est, diu cum rege collocutus erat [2], qui multa ei adversus Belgas mandaverat jusseratque deprehendi et pœnas solvere proceres, qui ipsius decreta repudiavissent, aut omnes inferioris loci viros, qui tumultibus interfuissent, et multari civitates, quæ tumultus non com-

1. *Correspondance de Granvelle*, II, p. 441.

2. *Correspondance de Philippe II*, t. II, p. 29.

pressissent, nulla Aurei velleris habita ratione, « ad capturam sententiam executionemque », ne Orangius, Egmontius Hornanusque pœnas subterfugerent [1].

Itaque Duodecimvirale concilium, criminibus priorum tumultuum sine provocatione cognoscendis, vulgo Turbarum aut, ob crebra supplicia, Sanguinis concilium appellatum, institutum est : et Albanus summum judicium assumpsit, ut vel eos, quos illud concilium absolvisset, damnaret [2]. Omitto quam multi templorum violatores turbatoresque civitatum deprehensi et capitis damnati sint. Initio mensis septembris anni 1568, quatuor millia et ducenti aut in exsilium jam acti erant aut in jus vocati [3], et inter nobiles Hornanus Egmontiusque : nam, ait Strada,« initia Præfecturæ ab animadversione in suspectos aliquot Belgarum Proceres auspicanda sibi duxit Albanus, quod dimissis iis qui eminerent, non habiturus esset populus ad quos facile converteret oculos [4]. » Tunc autem non jam in nonnullis tantum civitatibus seditiosi rebellant, sed magnum bellum movetur : ad Hiligelæum Gemingamque acie certatur.

Non multo post Albani adventum, de ejus malis consiliis Francisco Alavæ Maximilianus primum scripsit : Cum Albanus ad severitatem inclinaret et Rex in seditiosos et hæreticos minas jactavisset, non modo Belgio magnum fuisse damnum, sed et ipsi Regi : multos enim qui timerent ne non veniam impetrarent, cum omnibus suis rebus discessisse, et illos qui nihil commisissent facile dimidiam fortunarum suarum partem relicturos, ut pax servaretur [5] (die 16 mensis augusti 1567). — Ita inter belligerantes nonnulli Belgii præsules et ante omnes Maximilianus in pacificationem tunc se interposuerunt, ut pro parte sine

1. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 630.

2 Gachard, *Notice sur le Conseil des Troubles.*

3. Kervyn de Lettenhove, *Les Huguenots et les Gueux*, t. II, p. 150.

4. Strada, p. 324.

5. Archives Nationales, K, 1508.

dubio Albanum ad veniam generalem anno 1570 publicandam induxerint.

Maximilianus autem, qui pro hæreticis veniam petebat, suum tamen Cameracesium semper viderat a Gallis hæreticis quasi obsessum. Cameracesium enim antiquitus et lingua et propinquitate faciliorem amicitiæ causam cum Gallis habuerat [1], quam ut Galliæ hæreseos contagionem evinceret. Cum autem Maximilianus Cameracensem sedem obtinebat, tunc regnante Carolo IX Catharinaque Medicea gubernante, erant belli civilis in Gallia initia. Et bellum illud eo molestius Cameracesio instabat, quod hugonoti cum Belgicis Gheusiis communicabant.

Proverbii loco dici solebat, cum Gallia lutherana esset, Flandriam hæreticam non fieri non posse. Pastores qui aut in Gallia hugonotis præerant aut in Belgium quasi irrepebant, e Genevæ scholis simul egressi erant; juvenes quoque, qui Gallicas Academias celebraverant non semper ab amicitia magistrorum aut condiscipulorum, qui multi ad hæresim inclinabant, se removebant; Gallia et Belgium mercaturas inter se faciebant; inter præcipuos duces Condæum, dico in Gallia, in Belgio Orangium, nuntii frequenter commeabant. Quanquam Philippus Rex Elisabetham Valesiam uxorem duxerat, Rex Galliæ non certus Hispanorum socius erat, et Margarita querelam habuit de Caroli IX legato, de la Forest nomine, qui ei dubiæ fidei videbatur et in Belgium venisse ut, si posset, de Hispanis male mereretur; itaque addebat se quid ageret, quo iret, quibuscum conversaretur animadvertere [2]. Gaspar Colinius et Condæus, cum Catharinæ Mediceæ se restituissent, ab ea petierant ut Belgii armis occupandi sibi potestas fieret, nec Catharinæ tunc in Belgium, quod tumultibus civi-

1. *Discours de l'estat ancien et moderne de la ville et cité de Cambray et duché de Cambrésis*, p. 180 (Bibl. Nat. Ms Fonds Français, 18736).

2. *Correspondance de Marguerite d'Autriche*, II, p. 93.

libus perturbari optabat, hugonotos ejicere, qui in Gallia seditionem rursus movere potuissent, displicebat [1]. Anno 1563, Philippi Regis in Gallia legatus, Cantonetus nomine, Margaritam monuit Flandriæ concitandæ Catharinam et Colinium una incumbere [2]. Condæo Picardiæ præfecto, magnus in Belgio metus fuit, cum ab eo milites postulari, qui seditiosis opem ferrent, inter omnes constaret et Valentianis speculator, qui Condæi scriba vulgo dictus est, deprehensus esset [3]. Anno 1564, idem Antverpiam Condæus misit qui seditionem excitaret [4]. Itaque a Condæo præsertim metuebat Maximilianus: Condæus enim semper circum Cameracesii fines quasi errabat, quem videbimus quam diligenter Maximilianus specularetur et, si quid audiret, Margaritæ Albanoque nuntiaret.

1. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* I, p. 170.
2. Archives nationales, K,1499.
3. *Correspondance de Marguerite d'Autriche*, II, p. 486.
4. *Papiers d'Etat*, VII, p. 343.

CAPUT PRIMUM

DE MAXIMILIANO A BERGIS

1. De ejus genere.

Primo considerare libet quatenus et summum locum, quem in ecclesia obtinuit, et, omissa etiam episcopali dignitate, aliquam in rebus publicis auctoritatem generis commendationi debuerit.

Antiqua ac nobili Brabantina gente natus est, quæ a medio ævo comitivam dignitatem obtinuit. Glymenses enim perdiu summos honores adepti sunt : alii marchiones aut principes fuere, alii archiepiscopi aut velleris aurei equites, alii etiam ad magnum concilium Mechliniense aut Privatum concilium admissi; filiæ quoque in monasteria vel nobilissima et aditu difficillima cooptatæ sunt. Johannes V, Labiosus dictus, voto Phasiani anno 1453 interfuit [1]. Maximilianus ipse aliqua in parte propter nobilitatem summum in Belgio et Germania locum accepit, primo scilicet episcopatum ; et capitulum Cameracense, cum electionis Maximiliani causas exponeret, nomen Henrici a Bergis memoravit, « piissimi præsulis, ejus patrui, qui ecclesiæ Cameracensi plus minus octodecim annis faustissime præfuit [2]. » Sæpius dignitas episcopalis Maxi-

1. Gœthals, *Dictionnaire généalogique et héraldique des familles nobles du royaume de Belgique*, II, *de Glymes*.

2. *Liber secundus titulorum ecclesiæ Cameracensis*, Arch. dép. du Nord, fonds de la Cathédrale, 221, p. 75-76.

miliani generosa stirpe aucta fuit: Glymensis enim non minus quam archiepiscopus primas tenuit et in funere reginæ Johannæ Castillensis Bruxellis celebrato [1] et in sacris nuptialibus aut Mariæ Lusitanæ et Alexandri Farnesii, filii Margaritæ Parmensis [2], aut comitis Lalinii et filiæ comitis Arembergii [3], necnon cum Bergis novæ Hispanorum reginæ, Annæ Austriacæ, gratularetur [4].

Cum diu ejus familia magna in Belgio auctoritate usa esset, ipse Maximilianus consilia Regi ejusque ministris liberius dare poterat quam multi alii. Semper enim eum eodem afflictis rebus medendi studio accensum videbimus regi ipsi scribentem hanc unam ejus regni salutem esse, si velit ipse Belgium adire; idem consilium Granvellano iterum mittentem, quod Regi deferat; denique ducem Albanum de rebus publicis sponte sua admonentem [5]; inter episcopos eum jam vidimus qui a Duce veniam generalem petierunt.

Quod etiam a Glymis ortus est, Maximilianus libenter cum dominis illustrissimo genere natis conversatur, unde et, si quibusdam fides, ejus clementia et quorumdam catholicorum invidia. Multi quidem inter illos dominos, sicut ait Morillonius [6], archiepiscopum induxerunt ut ipsis indulgeret faveretque, et, cum iis uteretur, Maximilianus animadvertit quam sæpe aliter sentirent aut agerent atque ab inimicis et ministris hispanis dicerentur. Quorum autem multi cum in Philippi suspicionem venissent aut palam a Rege aut catholica fide jam secessissent, qui Maximilianum oderant ejus cum illis familiaritates iniquis

1. *Bulletins de la Comm. royale d'Histoire de Belgique*, 1860, p. 430, *Analectes historiques* de GACHARD, 8e série.

2. *Corr. de Granvelle*, I, p. 33-34.

3. *Ibid.*, III, p. 592.

4. ARN. RAISSIUS, *Belgica Christiana*, p. 182-185, etc.

5. Vid. ep. Albano duci scriptam (die 10 mens. martii 1568) : Arch. du Roy. de Belgique, *Papiers d'Etat et de l'Audience*, lib. 238, p. 40-41.

6. *Corr. de Granv.*, I, p. 116-117 et II, p. 245.

sermonibus auxerunt, ut ab eo voluntatem Regis ducisque Albani alienarent.

Sed quanquam dominis serviendo quorumdam catholicorum inimicitias subiit, non semper pro tantis beneficiis egregiam ei gratiam domini rettulerunt[1]. « Scio quod a dominis ridetur, » scripsit Morillonius[2]. Mirum enim qua irreverentia erga Maximilianum uterentur, et videbimus quibus conviciis eum in amplissimis epulis Egmontii amici consectaturi sint.

Nobile quidem Maximiliani genus nonnunquam domini parum curarunt, quod tantum per nothos, tametsi illam infamiam ei nunquam objecerunt, a Glymis originem habuit. Johannes enim Labiosus, dominus Bergarum, decem e duabus justis uxoribus liberos habuerat et quinque nothos, quorum Dismas a Bergis, qui ad concilium privatum admissus, Barcinone mortem obiit. Dismas autem duos filios genuit, quorum major Johannes a Bergis fuit primum summi concilii Mechliniensis præses ac postea concilii Hollandiæ, minor autem Maximilianus a Bergis, anno 1518 natus, primum fuit Collegialis ecclesiæ Sancti Gummari Liræ decanus oratoriique sanctæ Majestatis præfectus, postea Cameracensis episcopus et archiepiscopus, sacri Imperii Romani princeps, dux Cameracensis et comes Cameracesii et anno 1570 de vita migravit[3].

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 44.

2. *Papiers d'Etat du cardinal de Granvelle*, VIII, p. 296.

3. Gœthals, *loc. cit.* et *Correspond. de Granvelle*, I, p. 44, nota.

2. De ejus ingenio.

Ut quadam in publicis rebus auctoritate Maximilianus uteretur, non satis fuisset, si tantum ob generis nobilitatem ad episcopatum ascendisset. Non magnificam de rebus ab illo gestis laudationem expromere aggredior, sed num his virtutibus ornatus fuerit, quæ confirmarent consilia tunc temporis longe a plerorumque mentibus abhorrentia, quærere.

Maximilianus quidem præsertim voluntate et consiliis excelluit. Virum optimum eum esse dicebat Albanus ac propositis sanctissimum [1]. Nonnunquam in eo robur virile desideratur. Propter hanc primam causam quod, licet procerus et crassus, tenui fuit valetudine; decessit annos tantum duo et quinquaginta natus, fere morte repentina. Quot rebus ob illam valetudinis infirmitatem abstinuit, quæ ad ejus utilitatem aut munus pertinebant! Concilio Tridentino, quanquam Pontifex instabat, non interfuit. Romam nunquam adiit, quam episcopi plerique et illo minores adire non omittebant, licet ejus interesset causam suam ad curiam Romanam contra Cameracense capitulum et abbatias, ab ipso damni causa expetitas, agere. E calculis enim laborabat, et cum ita Valentianæ ab hæreticis turbarentur ut non sine magno detrimento ab illa urbe abesset, sibi duos ibi substituit legatos et Margaritæ gubernatrici causam attulit quod jam septuagesimum diem ita sine ulla intermissione calculis urgeretur, ut nihil agere posset et medici timerent ne morbus ingravesceret, nisi remedia adhiberentur; quam ob rationem illis sua-

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 150.

dentibus se Aquas Luvienses profectum [1]. Itaque tertio anno ante obitum, in tanto vitæ discrimine fuit ut archiepiscopatu se abdicare tunc cogitaverit; quinetiam illius cessionis condiciones cum Barlamontii filio tractavit; cum vero speravit se brevi ad sanitatem esse reversurum, res citius processit quam ad illius voluntatem [2]; Philippus autem vehementer cupiebat, si Morillonio fides, Maximilianum ab episcopatu submovere, ut quem ob valetudinem ea diligentia carere existimaret quam regia majestas et religio ab hæreticis commota requireret.

Quæ tamen ignavia sæpe etiam ex illa quasi insita moderatione venit, quam in omnibus rebus Maximilianus adhibebat eoque memoria digniorem quo eo tempore fuit rarior. Quam segnis enim quasi per oppositionem ille videtur qui ad pacem cives cohortatur, cum plerique ad arma concurrunt! Non tamen segnis, sed pacifici et clementis episcopi fuit aut contendere adventu tantum Regis et venia generali sedari posse tumultus, aut Valentianis quærere quomodo bono exemplo. sermonibus scholisque catholica fides restitueretur; mansueti etiam viri fuit quibusdam parcere, qui a Cameracensibus ipsis judicibus damnati fuerant, aut sine ira in Egmontii convivio injuriis nobilium respondere, neque licet Morillonium probare, qui Maximilianum reprehendit quod tunc se non virum præstiterit [3]. Attamen idem Morillonius in suis litteris eum neque lenem neque tractabilem scribit [4]. Quanquam autem non licet Gelico omnino assentiri qui eum supra modum extollit et ob summas virtutes « decus episcoporum » prædicat, Maximiliano tamen « Sancti Augustini mansuetudinem » fuisse constat.

Quam etiam virtutem cumulabat rectissima in omnibus

1. Paillard, *Histoire des Troubles religieux de Valenciennes*, t. III, p. 422-423.

2. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 328, 458, 536, 582 et passim.

3. *Papiers d'Etat*, IX, p. 16-17.

4. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 56.

privatis et publicis rebus vita. Cum enim capitulum Cameracense Maximiliani electionem tueretur, his laudibus eum jure ornabat : « A pluribus annis sacerdotii honore functus.... adeo moderatam vitam egit ut ejus virtus non solum maximis principibus, sed clero ac populo hujus diœcesis perspectissima omnibus rectam dederit fiduciam redivivam nobis... Totius plebis hujus civitatis summo plausu ingentique lætitia nostra electio excepta fuit. Et id ipsum sane plurimum nos recreavit cum non ignoremus quam duræ sit populus cervicis [1]. » Tanta laude non indignus fuit episcopus : quippe qui pravos sacerdotes detruserit et duas synodos habuerit, ut per decreta Tridentina ecclesiam suæ provinciæ ad pristinam sanctitatem reduceret. In rebus etiam publicis, a dolo et ambigua subtilitate remotissimus, recta tantum consilia proposuit [2].

Probiorem autem Maximilianus se præstitit semper quam callidiorem ; quod non mirum est, nam si quis unquam res fere dissociabiles miscuit, probitatem et calliditatem, multi in publicis rebus arbitrantur sibi quærendum potius quid sint consecuturi quam per quid. Maximilianus non per suas artes, sed ob genus suum et Granvellani gratia ad summam ecclesiæ dignitatem pervenit. Item illum alii facile decipiunt illuduntque et Morillonius hæc verba sæpe iterare potuit, quibus de ejus cum Cameracensi capitulo controversia utitur : eum quasi irretiunt quidam de capitulo, adducuntque in spem compositionis quam detrectant, tantummodo ut eum producant et moras nectant [3].

Si Morillonio adhibenda fides, non modo in Maximiliano desideratur calliditas, verum etiam, quod pejus est, nonnunquam ita imprudenter egit ut optimo animo suis aut

1. *Lib. eccl. Camer.*, n° 221, p. 75-76 (Arch. dép. du Nord, Fonds de la Cathédrale).

2. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 40 et 41.

3. *Corr. de Granvelle*, III, p. 232.

amicorum utilitatibus detrimentum attulerit: præsertim temere de gravissimis rebus coram omnibus effutiendo. Quod quidem eo magis vituperandum quibusdam videtur quod multi eorum quibus utebatur apud Hispanos catholicosque offenderunt. Sed Morillonius unus maxime alieno in eum animo fuit, ut ex litteris ad Granvellanum scriptis satis liquet [1]. Nec igitur omnino eidem credendum est, cum contendit Maximilianum libentius cum dominis, in quos seditionis caderet suspicio, conversatum esse et interfuisse conventiculis quæ haberent Hornanus, Orangius, marchio Bergensis, Montinius, vicecomesque Gandavensis [2]; pati coram se ipso nonnullos liberius loqui de rebus quæ ad religionem catholicam aut regem attineant;

1. Scribit Morillonius se cenavisse apud Carmelitas cum Maximiliano et incredibile esse quam is habuerit orationem inter cenam... (*Papiers d'Etat*, VIII, p. 270-71.); turbulentissimis in rebus eumdem linguæ parum temperare, ex vetere proverbio: « Furca non expellas. » (*Corr. de Granvelle*, III, p. 445-446.) Igitur non mirum est Morillonium de eodem opinari non plura ei scribenda quam velit Granvellanus in vulgus efferri. (*Papiers d'Etat*, VIII, p. 271.) Attamen nonnunquam queritur quod archiepiscopus sibi parum confidat; de quodam enim ejus sermone scribit obstupuisse se iisdemque verbis reddidisse auditum, sed nunquam rem diligentius Maximilianum explanare voluisse; fieri autem non posse quin plura noverit quam nunc dicere aut velit aut audeat (*Ibid.*, IX, p. 651). Hoc autem gravius Maximiliano ipse Granvellanus, qui tunc Romæ erat, consilium dedit: Amantissime se orare archiepiscopum ut, si quibus fides adhibenda, caveret ubi et quid loqueretur, Romæ enim et alibi esse qui clarissime et a longinquo audirent. (*Corr. de Granvelle*, I, p. 163-164). Granvellanus enim, cui sua negotia Maximilianus mandaverat, in iisdem litteris eum admonebat, ut amici officio fungeretur, cardinales quosdam conqueri quod eum audivissent inter epulas aut alibi liberius loqui de rebus quæ in curia Romana agerentur eamque explodere; id nonnullos molestissime ferre ac dicere Maximilianum non posse resciisse quid Romæ ageretur eique illuc prius eundum quam de Romanis rebus judicaret. Qui autem illi exprobrant liberiorem sermonem, tentant omnia ab illo expiscari et Morillonius, exempli causa, Granvellano scribit se archiepiscopum velle invisere, qui non possit non aliquid dicere. (*Ibid.*, I, p. 603.)

2. Cum iniquo animo se ferre contendit Maximilianus quod de Granvellano nobiles male loquantur « hoc, ait Morillonius, mihi parum fit verisimile, » *Papiers d'Etat*, VIII, p. 296 et IX, p. 122), cum de Granvellano minus dissideat cum proceribus quam vulgat suis sermonibus, et cotidie cum iis epulatur (*Ibid.*, VIII, p. 270).

familia uti parum catholica, eique promum esse qui suspicionem sustineat hæreseos, nec in familia solum [1].

Imprudenter quidem ac temere officiosus est Maximilianus in nonnullos qui Hispaniæ aut fidei catholicæ adversariis aperte servierunt, ut Hovelmannum quem, quanquam Orangii partes secutus erat, frustra Albano tradidit [2]. Majore quoque studio commendavit del Dale, affinem suæ sororis jamdiu defunctæ et qui maxime fuerat Tornacensis consistorii auctor [3]. Forsan ita suam ipse auctoritatem apud ministros hispanos a quibus in posterum petiit veniam generalem, refregit [4].

Maximilianus autem pro aliis operam facile interponit. Utrum sincere ut prosit an ut liberalitatem suam et auctoritatem ostentet? Iis tantum operam navare solet quos ob humanam caritatem tueri eum æquum est, imprimis viduis et orbis, velut viduæ Hochstratani, de qua Albano benignissime scripsit (1568) [5]. Morillonius autem ejus officiis parum confidit et cum ei dicit Maximilianus se operam daturum ut Granvellanus episcopatum Leodiensem obtineat, ei statim præpositus Ariensis respondet, ab re ista abstinendum dum noverit quid cardinalis sentiat; ejus autem putare se contrariam sententiam fore. Idque Morillonius in litteris Granvellano scriptis addebat, quod Maximiliano dicere non poterat: Cameracensem archiepiscopum rei magis officere quam prodesse [6]; atque alibi : « Multa inepte fecit et imprudenter, prætextu zeli. »

In vituperationem autem Maximilianus cecidit, quæ, aversa a liberalite supra laudata, ex parte haud longissime abest a vero : Id tantum quærebat, secundum Moril-

1. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 270-271.

2. *Corr. de Granvelle*, III, p. 217.

3. *Ibid.*, II, p. 302, 303, 516 et 557.

4. *Ibid.*, I, p. 191-192.

5. Arch. du Roy de Belgique, *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 53.

6. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 170.

lonium, ut omnes omnia facerent pro ipso, ipse autem nihil pro aliis [1]. Maximilianus commodis suis aut episcopalibus multum inserviit et videbimus quam studiose archiepiscopus Cameracensis, finibus provinciæ post novam ecclesiæ Belgicæ constitutionem imminutis, quæsierit ut damna sua resarcirentur. Multorum igitur inimicitias suscepit. Sed abstinentia non hujus ætatis fuit et juxta Maximilianum præsules fere omnes et maximi res suas haud minore avaritia tuebantur. Suas autem tanta diligentia suæque provinciæ res Maximilianus fovebat ut nonnunquam a se ipso quasi dissideret : namque aliud intra fines Cameracenses, aliud extra non semel laudavit. Ita in causam fratris Lupi, qui in sermonibus a fide catholica aberraverat, incubuit; statim autem subjecit, si Lupus ita in Cameracensi provincia peccavisset, se in eum utique animadversurum fuisse [2].

Timiditas aut verecundia quasi propria Maximiliani fuit. Si quid forte audet, illum statim quasi pudet ausum esse : cum enim Albano duci de Belgicis rebus consilia scribit, epistolam suam rogat eum ut comburat, ne palam fiat se tanta erga Albanum licentia uti de rebus quæ ad episcopi partes non spectent [3].

Quæ quidem verecundia virtutes quasdam ingenii quasi penitus abolevit. Præter non vulgarem eruditionem, gallicum et teutonicum noverat sermonem, utrumque Cameracensem sedem administraturo æque necessarium [4]. Hispanica etiam lingua utebatur et nonnullæ supersunt litteræ ab ipso ad legatum Philippi regis in Gallia, Franciscum Alavam, hispanice scriptæ [5]. Haud tamen incorrupta sermonis gallici integritas vel elegantia in Maximiliani litte-

1. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 429.

2. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 607.

3. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p .41.

4. *Arch. du départ. du Nord, Fonds de la Cathédrale*, 221, p. 75-76.

5. Cf. litteras die primo mensis nov. 1566, die 12 mensis februarii 1567 *Arch. Nationales* K. 1507) et mense augusto 1567 (K. 1508) scriptas.

ris laudanda est; ejus enim oratio est incondita, sæpe etiam perplexa et tarda inertique structura. Totus est, ut ita dicam, in sua oratione, quæ ejus verecundiam reddit. Non sunt acres aut splendidæ sententiæ firmi ac virilis animi. Ejus autem scribendi modus illa vitia non indicat, certus et æquabilis: omnes enim litteræ simpliciter et clarissime scriptæ uno et eodem modo inclinant, quæ tamen nonnunquam ægre leguntur, quod non absolutæ.

Quanquam autem, ut ait Franciscus de Bar, erat « in sermonibus facundus et prudens, ad omnia officia pietatis optime affectus, nescio tamen quo timore aut verecundia non audebat pulpitam conscendere ut concionaretur, sed hoc officium subdelegabat Patribus Societatis vel aliis viris doctis. Ad hoc autem munus exsequendum aliquotiens hortatus est eum Abbas Aquicinctinus Lentaillerus qui videbat dicendi gratia auctoritate ac doctrina pollere [1]. » Ob eamdem causam cum Albanum episcopi et clerici nonnulli adierunt ut veniam generalem impetrarent, orandi munus Richardoto permisit, tametsi hoc officium archiepiscopi, clericorum principis ac ducis, videbatur. Quibusdam autem in conventibus verba non ipse facere non potuit, scilicet in synodis quas Cameraci habuit : in *Actis Conciliorum* supersunt et cohortatio et nonnulla verba quæ in synodo anno 1565 celebrata fecit [2]. Sed non ex illa cohortatione intelligi potest num dicendo Maximilianus polleret: propriæ enim ejus sunt sententiæ, incertum autem an dicendi forma. Et oratio apparata et omni ex parte scripta non jure oratio habenda est. Cohortatio sane clarissime disposita videtur; sed de hæreticis agere non arduum fuit; minus quidem vulgari sermone uti videtur, cum ad decreta Tridentina accedit, quæ præsules, immunitatis suæ tenaces, accipere nolebant. Sed in hac etiam synodo a Richardoto præcipua oratio habita est.

1. Fr. de Bar, *Op. cit.*, p. 144.

2. Labbe, *Sacro Sancta concilia*, t. XV, p. 184-187.

Iis moribus fuit Maximilianus. In summa, voluntate et proposito semper sanctissimus vidit et quemadmodum res se in Belgio haberent et quibus de causis; idemque jure animadvertit quomodo in dicione regis et fidei catholicæ teneri possent tot homines quos concitaverant et crebra supplicia et impotentissima Albani ducis dominatio; ei quoque non levem auctoritatem virtutes insignes addiderunt. Aliquid vero ei detraxit et quod, ceterorum episcoporum instar, acerrime rebus suis inserviebat et quod imbecillioris animi ac verecundioris fuit quam eo tempore decuit, quod virile robur requirebat : unde temere ac nonnunquam inepte imprudentibus amicis aut inimicis, parum autem sibi se credidit, neque omnibus, quas a natura acceperat, dotibus, usus est. Sed plus valuere virtutes quam vitia : inter quas præsertim laudanda est illa moderatio quam in bellis civilibus adhibuit; et illud multa ejus redimit vitia quod Philippi regis ministros admonuit ne vi et armis turbatas res componerent.

CAPUT II

1. QUOMODO MAXIMILIANUS CAMERACENSIS EPISCOPUS DELECTUS SIT

Anno 1556, Maximilianus a Bergis Cameracensis episcopus delectus est, duodequadraginta annos natus. Superioribus autem temporibus hoc tantum scire licet eum Collegialis ecclesiæ Sancti Gummari Liræ decanum, Cameracensis diœcesis presbyterum Oratoriique sacræ Cæsareæ et catholicæ Majestatis præfectum fuisse [1].

Roberto Croio episcopo mortuo, Cameracensis decanus et capitulum cathedralis ecclesiæ Cameracensis, « juxta canonicas sanctiones, Sanctorum Patrum decreta ac consuetudines Imperii ab antiquo observatas, » ad deligendum futurum præsulem convenerunt [2]. Episcopatum petebant Robertus Brederodius et Maximilianus a Bergis. Brederodio autem una favere atque adversari videbatur, quod defuncto episcopo adjutor fuerat [3] et in partibus habebat proceres [4]. Suæ eum virtutes capitulo Cameracensi parum commendarunt. Frater erat Henrici Brederodii, qui fuit

1. Raissius, *Belgica Christiana*, p. 182. — *Liber secundus titulorum ecclesiæ Cameracensis*, n° 221, p. 79 et 205.

2. *Liber secundus titulorum eccl. Cam.*, n° 221, p. 95 et passim. — Dupont, *Hist. eccl. et civile de Cambrai et du Cambrésis*, II, 5e partie, p. 113-115. — Bouly, *Histoire de Cambrai et du Cambrésis*, t. II, p. 53, etc. — *Notice historique sur Maximilien de Berghes*, par l'abbé Bourgeois (1875).

3. *Batavia illustrâta*, t. II, p. 889. — *Decretum Pauli Papæ IV datum contra capitulum Cameracense prætendens jus electionis ad episcopatum Cameracensem ad se pertinere* (*Lib. secundus titulorum*, etc.).

4. Strada, *De Bello Belgico*, lib. II, p. 80.

insignis dux seditionum. Ipsi non multum sacerdotalis animi fuit: mox enim in Hispania adversus Mauros Africanos et in Pannonia adversus Turcas militaturus erat [1]. Clericus iste militaris ære alieno laboravit et, ejus morte audita, recte Viglius scripsit: « Magnum sui desiderium creditoribus reliquit [2]. » Semper enim et ab omnibus pecuniam quærebat, qua opportune nomina expediret [3]. Repulsam ipsam sollerti avaritia quasi lucrifecit: a Maximiliano enim electo annua impetravit, quæ non solvit episcopus, nam anno 1565 Maximilianum Henricus Brederodius objurgavit, quod millia quatuor florenorum, quæ fratris Roberti essent, devoraret [4].

Non mirum est quod huic candidato Maximilianus antepositus fuerit, quem virtutibus, non vulgari eruditione et genere insignem laudat ipsum capitulum et multis ab annis sacerdotii munere honestissime functum spectaverat [5]. Quemadmodum Brederodio proceres favebant, ita Maximiliano Granvellanus, cujus gratia in Belgio tunc magna erat. Et episcopi Atrebatensis commendatio ad Maximilianum deligendum non parum momenti habuit, quanquam Granvellanus postea questus est, quod legati sui ita a mandatis discessissent ut propemodum contra ipsius consilium egissent [6].

Quid autem egit ipse Maximilianus ut deligeretur? Absentem se et inscium delectum postea dixit [7]. Absentem

1. Groen van Prinsterer, *Archives ou Correspondances inédites de la maison d'Orange Nassau*, t. II, p. 415. — *Papiers d'Etat*, t. VIII, p. 444.

2. Hoynck van Papendrecht, *Analecta Belgica*, t. I, 2e partie, p. 391-392.

3. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 65.

4. *Papiers d'Etat*, t. VIII, p. 685.

5. *Liber. secundus titul. Eccl. Cam.*, n° 221, p. 75-76.

6. *Compte rendu des séances de la Commission royale d'histoire de Belgique*, 1re série, IV, p. 117. — *Gallia Christiana*, t. III, col. 51.

7. « Decanus et capitulum absentem et inscium in suum et ecclesiæ prædictæ pastorem et episcopum elegerunt. » (*Procuratorium Maximiliani a*

assentior, non inscium. Neque enim is Maximilianus fuisse videtur, qui res suas prætermitti pateretur. Multæ quidem ei fuerunt virtutes, sed non honorum aut utilitatis suæ contemptio. Delectum eum sincere dubitasse num episcopalem dignitatem acciperet admodum incredibile videtur : quot candidati post renunciationem suffragiorum inscios et absentes se delectos fuisse dicunt!

Die nona Septembris, decanus et capitulum Maximilianum suum et ecclesiæ Cameracensis pastorem atque episcopum renunciaverant et, die decima sexta, « electionem, ut ait ipse Maximilianus, per certos suos ad hoc specialiter constitutos ei offerri et præsentari curarunt, requirentes et instanter rogantes ut electionem hujusmodi consentire suumque consensum pariter et assensum præstare et illam acceptare dignaretur; et præfatus dominus exponens tum propter negotii magnitudinem ac pondus se super oblationem et præsentationem electionis prædictæ deliberaturum et antedictis dominis decano et capitulo animi sui deliberationem suis loco et tempore indicaturum respondit. » Non dubium responsum erat : « Idem Maximilianus electus, etsi tanto munere se minus dignum existimet, tamen quando per præfatos dominos decanum et capitulum in concordia canonice electus existit, ne aut refutare aut parvi pendere gratiam Dei videretur (cujus instinctu et inspiratione electionem prædictam factam esse creditur) misericordiæ Domini nostri Jesus Christi ejusque apostolorum Petri et Pauli auxilio et intercessioni confisus, eidem electioni de persona sua factæ sibique oblatæ consentiit ac suos consensum et assensum præstitit[1] » (die 13 mens. Octobr. 1556).

Ita igitur Maximiliani delectio facta est, ut novo epis-

Bergis et acceptatio electionis suæ ad episcopatum Cameracensem anno 1559. *die* 13 *octobris*. — Lib. sec. titul. Eccl. Cam., p. 79 et 95)

1. *Procuratorium Maximiliani a Bergis et acceptatio electionis suæ ad episcopatum Cameracensem anno* 1556 *die* 13 *octobris* (Lib. sec. titul. Eccl. Cam., p. 107).

copo magnam auctoritatem præstitisse videretur: quippe qui sine fraude simonica, sed tantum propter virtutes, genus Granvellanique studium libere ac maximo populi plausu delectus esset.

Accepta autem episcopali dignitate, Maximilianus et pontifici episcopus et Germaniæ Imperatori dux Cameracensis comesque Cameracesii et, cum castellum a Carolo V Cameraci constructum esset et in episcopi Cameracensis provincia essent nonnullæ Belgii partes, Belgii principi obnoxius erat.

Attamen episcopus a capitulo electus non Belgii principi, sed tantum Imperatori et pontifici confirmandus erat et Ferdinandus Imperator Maximiliano, ubi electionem ratam habuit, omnem administrationem temporalem episcopatus commisit et litteras misit. « quibus comprobando electionem tanquam rite, sincere ac de bono et idoneo viro factam, ipsum... principem imperii nominare regaliaque ac regalium aliorumque jurium prædicti ducatus a sacro imperio dependentium exercitium, favorabiliter concedere et committere dignatus est [1],... præsertim, addit Ferdinandus, cum eum propter singulares ejus virtutes episcopali munere dignum esse non modo ab aliis fide dignis authoribus acceperimus, sed ipsimet satis et abunde cognoverimus [2]. »

His laudibus Maximilianum collegio cardinalium Imperator commendavit, ut a Pontifice canonicam confirmationem impetraret. Triennium autem totum intercessit antequam delectum Paulus IV confirmavit, qui citra capituli jus episcopum Cameracensem ad arbitrium instituere contendit ac decretum dedit « contra capitulum Cameracense prætendens jus electionis ad episcopatum Cameracensem ad se pertinere [3]. »

1. *Liber sec. titul. Eccl. Cam.*, 221, p. 95.
2. *Id.*, p. 205.
3. *Id.*, p. 107.

Primo Maximilianus Romam ire ipse decreverat, ut a Paulo IV electionis suæ confirmationem peteret. Sed « tam propter personæ suæ debilitatem quam itineris longam distantiam ac bellicos motus, qui tunc in Italia et locis vicinis existebant, personaliter accedere » non potuit [1]; et procuratores constituit Johannem Richebe, præpositum ecclesiæ cathedralis Atrebatensis, et Hieronimum Buslidium, Philippi Regis consiliarium, ut Pontifex maximus « electum confirmare et episcopum constituere et deputare curamque ac regimen tam in spiritualibus quam temporalibus cum plenaria rerum jurium et bonorum ejusdem ecclesiæ administrationem committere dignaretur; » quique « jurarent in animam » Maximiliani « quod esset de legitimo matrimonio procreatus et presbyter ætatis triginta octo annorum vel circiter et quod in præmissis non intervenisset aliqua fraus, simonica labes, aut alia pactio illicita, etc. [2] »

Anno tantum 1559 Paulus IV Maximiliani electionem comprobavit. Etenim de jure electionis controversia erat. Quemadmodum Sixtus Papa IV, Johanne a Burgundia mortuo, jam « sibi reservaverat Cameracensis ecclesiæ dispositionem, ordinationem et provisionem, quando eam vacare contingeret [3] », ita Paulus papa IV « episcopatum Cameracensem prætendens sibi per regulas cancellariæ apostolicæ generaliter reservatum esse, alii cuidam extraneo conferre » statuerat, vel jam contulerat [4]. Semper tamen episcopus a capitulo delectus fuerat et, cum Sixtus IV ecclesiæ Cameracensi Henricum a Bergis præfecerat, nulla cum Imperio controversia fuerat, quod simul eumdem Valentianis capitulum delegerat [5].

1. *Liber sec. titul. Eccl. Cam.*, p. 79.

2. *Procuratorium Maximiliani a Bergis et acceptatio electionis suæ*, etc. — *Liber. sec.*, etc., 221, p. 79 et 107.

3. *Gallia Christiana*, III, p. 50.

4. *Liber. sec. etc.*, p. 205.

5. *Gallia Christiana*, III, p50, not. a. — Dupont, *Op. cit.*, III, p. 111.

Supersunt « Consilium pro Maximiliano a Bergis electo Cameracensi episcopo, datum anno 1556 sub finem », ac « Novum consilium pro Maximiliano a Bergis circa 1557 vel 1558 »; item litteræ quas scripsit Maximilianus Imperatori Ferdinando, ut a curia Romana comprobaretur, et litteræ Ferdinandi nomine collegio Cardinalium scriptæ « in favorem electionis Maximiliani a Bergis. » Ex illis scriptis constat præsertim inter sacrum Imperium Romanum ac Pontificem, qui sua jura pariter defendunt, esse controversiam. Etenim cum Maximilianus a Ferdinando postulat ut ad curiam Romanam scribat, Imperii potius jura ostentat quam sua: se delectum esse « juxta canonicas sanctiones, sanctorum patrum decreta ac consuetudines imperii ab antiquo rationabiliter observatas nec non concordata Germanicæ nationis [1], in qua dicio Cameracensis notorie existit formulamque reformationis ecclesiarum omnibus ordinibus a Cæsarea Majestate anno MDXLVIII propositam ac receptam atque ejusdem Majestatis speciale edictum anno MDLIV per totam dicionem Cameracensem publicatum et acceptatum... [2]. Ut Sanctitas sua facilius moveretur ipsa regiæ Majestatis tuæ providentia et reliqui ordines ac status sacri Imperii, ut celerius ecclesiæ utilitati provideretur litteris datis ad Collegium Cardinalium et alios plerosque curiæ Romanæ præsidentes, pro benignitate sua rogarunt ac pro Imperii dignitate instanter requisiverunt ne Sanctitas sua prætextu generalium reservationum prædictam confirmationem deferret, neve oratorem tali prætextu contra jura concordata et contra consuetudinem Imperii inquietaret aut ab aliis inquietari pateretur. » Omnia autem irrita fuerunt, nam « Sanctitas sua per malam quorumdam (ut creditur) suggestionem excitato fisci sui procuratore palam in disquisitionem vocari permisit an Cameracense

1. Koch, *Sanctio Pragmatica Germanorum illustrata*, Argentorati 1789.
2. Alex. Henne, *Op. cit.* VIII, p. 316 318.

jus eligendi salvum existeret neque solus orator, sed et alii plerique prælati dicionis Cameracensis hac ratione in urbe romana inquietantur atque in periculum vocantur. » Quinetiam « nisi opportunioribus remediis subveniatur, non modo episcopatum, sed et omnes abbatias aliaque pinguiora beneficia dicionis Cameracensis ac totius Germanicæ nationis cum magna religionis perturbatione, reipublicæ scandalo irreparabili et continuo supplicantis ac subditorum ejus detrimento, prætextu reservationum aliorumque similium abusuum deinceps Romam devocanda ac cardinalibus reliquisque curiæ romanæ aulicis cessura videntur. » Non igitur pro se tantum Maximilianus Imperatorem implorat, sed etiam « pro communium rerum juriumque Imperii cura, pro regii officii patrocinio ac quod obstringitur ecclesiasticis et ecclesiis maxime cathedralibus, pro conservatione publicæ pacis et tranquillitatis (quæ amissis vel antiquatis concordatis inter ecclesiasticos et seculares principes inoffensa stare non poterit) constanti providentia et imperiali authoritate adversus has oppressionum procellas opportune dignetur succurrere [1]. »

Cum igitur Cardinalium Collegio Imperator scripsit, ei satis fuit Maximiliani epistolam exscribere ut Imperii jura vindicaret. « Neque nos, addidit, nec sacri imperii ordines tolerare poterimus ut electus ille, contra concordata nationis Germanicæ et privilegia sacri imperii, turbetur. » In periculis etiam commoratus est quæ, electione Maximiliani non comprobata, catholicæ ecclesiæ imminerent, quod quidem plurimum ad pontificem valere potuit : « Non enim ignorant Dominationes vestræ reverentissimæ vix posse gravius aut deterius quicquam transalpinis ecclesiis maxime remotioribus in tanta rerum et temporum perturbatione evenire, quam si diutius pastoribus et rectoribus destituantur [2]. » Quanquam illa controversia minus ad

1. *Liber. sec. titul.Eccl. Cam.*, 221, p. 95.
2. *Ibid.*, p. 205.

ipsum Maximilianum quam ad Imperii jura pertinebat, Maximiliano, quod citra Pontificis voluntatem a capitulo delectus erat, semper curia Romana infensa fuit, et cardinales de illo verbis parum benignis utebantur, cum Granvellanus Romæ de archiepiscopi rebus ageret.

Paulus IV anno 1559 tandem bulla Maximilianum confirmavit. Tunc demum duos introitus (quos jucundos vocant) in urbem Cameracum die 22 mensis Octobris tanquam dux et episcopus fecit Maximilianus, quem episcopi Leodiensis et Tornacensis et dux Areschoti et comes Egmontius et marchio Bergensis multique alii viri clarissimi comitabantur [1].

Nihil a Maximiliano episcopo dignum dictu actum est; nec eo tempore prævidere licuit quid in posterum acturus esset, cum archiepiscopus et hæreticorum impudentiam et Philippi regis ministrorum sævitiam spectaret. Sed episcopus Cameracensis archiepiscopi dignitatem mox adeptus est ac tunc graviorem in rebus Belgicis personam suscepit.

2. QUOMODO AD ARCHIEPISCOPATUM PROVECTUS SIT

Eodem anno quo Romanam comprobationem tanquam episcopus Maximilianus accepit, jam statutum erat ut nova metropolis Cameracensis institueretur, et Maximilianus ipse designatus est.

Non hujus operis est penitus inquirere quas ob causas et tres novæ metropoles et plurimæ episcopales ecclesiæ in Belgio institutæ sint. Quod novi creati sunt episcopatus

1. François de Bar, *Historia archiepiscopatus Cameracensis* (Bibl. Roy. de Belgique, Ms 7743-7746, p. 141). — Guillaume Gazet, *Histoire ecclésiastique des Pays-Bas*, p. 45.

prudenter illud convenienterque cum publicis, tum sacris rebus fieri videbatur. Nam majorem Belgii partem alienigenæ episcopi obtinebant : ita Lucemburgum sex episcoporum juris erat, quorum nullus in ipsa provincia sedem habebat, Cameracensisque episcopus, cui obnoxia Brabantiæ pars, Mechliniæ, Hannonia aliique Flandriæ pagi, ex archiepiscopo Remorum ipse pendebat.

Cum autem tres dumtaxat latiore jurisdictione episcopatus haberent septem et decem Belgii provinciæ, duplex fiebat vitium. Primo enim alienigenæ episcopi eorumque ministri cum immodesto non semel utebantur imperio, non sine magno civium publicæque libertatis detrimento, tum perpetuas cum civilibus magistratibus contentiones conserebant, neque unquam ab ipsius regis prærogativa et majestate manus abstinebant. Adde quod in ipsis cognitionibus sacris, qui causam dicebant remotissimos et extra regionem sedentes judices debebant appellare. Tum quod ad religionem attinebat, gravius etiam erat malum, cum latiores diœcesium obstarent fines, ne episcopi cleros suos satis regerent aut custodirent. Paulus quartus ipse in bulla pro erectione ecclesiæ Cameracensis in metropolim dicit : « ... Messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos... Pro oppidorum celeberrimorum, quibus ubique referta est (ea regio) frequentia et castellorum pagorumque multitudine paucæ ibi sunt admodum ecclesiæ cathedrales; quo fit ut tam pauci episcopi non ea qua opus esset diligentia tantam animarum multitudinem regere possint, quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate, institutisque differunt... Tam graviter periclitanti fidei orthodoxæ et animarum saluti aptissimum esse remedium duximus, si veterum ecclesiarum in illa regione positarum diœceses commodioris regiminis causa divideremus, novisque erectis cathedralibus ecclesiis, ejusmodi præficerentur episcopi, qui tum exemplo tum verbo commissas sibi oves pascant. »

Principio statim regni Carolus quintus pro persuaso habuerat reformandas esse Belgii ecclesias atque quotiens concordi cum summo Pontifice animo fuerat, Romæ ea de re agendum curaverat. Quod consilium a patre conceptum plus æquo perfecit Philippus secundus, qui quatuordecim episcopatus, cum sex omnino poposcisset Carolus, creare voluerit [1].

Quod ad Cameracensem metropolim attinet. Pauli IV bulla factum est ut non modo nova ecclesiæ Belgicæ constitutio imponeretur, sed et episcopatus Atrebatensis, Tornacensis et Audomaropolitanus, qui tunc ad provinciam Cameracensem pertinebant, et ipse episcopatus Cameracensis ab archiepiscopo Remensi eximerentur, id est magna Belgii pars ab alienigena archiepiscopo [2].

Jam anno 1559 Maximiliani nomen est, auctore Viglio, in schedula de novorum episcoporum et archiepiscoporum designatione scripta, quæ Gandavi Regis oculis subjecta est, vel antequam Pontificis maximi bulla accepta est ; et ejus exemplum, ab ipso Granvellano scriptum, superest [3]. Non modo nemo Maximiliano designando videtur obstitisse, verum etiam Philippi Regis ministri anno 1561 eum vehementer hortati sunt ut diligentius a curia Romana pallium obtineret et archiepiscopi munia subiret [4]. Denique die 22 mensis Martii 1562 recitatis in choro B. Mariæ Pauli IV bullis, quibus episcopatus Cameracensis in archiepiscopatum erigi declarabatur, in possessionem novæ suæ dignitatis venit Maximilianus ; ibi aderant episcopi qui ei subjecti erant collegiumque canonicorum, et Richardotus de archiepiscopatus excellentia super alios episcopos orationem habuit.

1. Miræus, *Opera diplomatica*, t. I, p. 472. — *Gallia Christiana*, t. III, 51-53, et *Instrumentum Eccl. Camer.*, XI.

2. *Protestation de Charles Maurice Le Tellier, archevêque duc de Reims, contre la prétendue érection de l'église de Cambrai en métropole, du* 14 *février* 1678 (Paris, Léonard, 1678).

3. *Archives de Simancas*, 519 ; Gachard, *Corr. de Philippe II*, I, p. 185.

4. *Correspondance de Marguerite d'Autriche*, t. II p. 27.

Nova dignitate Maximilianus non potuit non superbire : nam archiepiscopus Cameracensis episcopo præstabat, eique quatuor episcopi, inter quos Richardotus episcopus Atrebatensis eminebat, obnoxii erant.

Attamen, si Morillonio creditur, ægre ferebat Maximilianus Granvellanum, Mechliniensem archiepiscopum, ecclesiarum Belgicarum primatum obtinuisse, et Mechliniensem ecclesiam, quæ recentior esset, Cameracensi antecellere insigni et antiquæ. Itaque cum Granvellanus e Belgio decedere jussus est, archiepiscopi, qui Cameracensem et Trajectensem sedem obtinebant, dignitate quasi aucti sunt, et Maximilianum Morillonius criminabatur velle Granvellanum quasi detrudere, præsertim cum Maximilianus cum capitulo suo litem haberet. Maximilianus enim cuncta capitula immunitatibus exuere, omnibus adjuvantibus episcopis, volebat [1], et episcopos non modo suæ provinciæ, sed etiam alios, sicut Brugensem et Yprensem, convocare cogitaverat. Sed in Cameracensi provincia eum episcopi parum adjuverunt. Scripsit tunc Morillonius nescire se iturusne esset ad Cameracensem Tornacensis, nec ad eundum propenso animo esse Audomaropolitanum, immo non sibi dubium esse quin abnueret [2]. Richardotus non Maximilianum approbavit et, si Morillonio creditur, Granvellano scripsit archiepiscopum Cameracensem in illum tam graviter deliquisse sibi non placere [3]. Sed cum Maximilianus, qui de re Richardotum consuluerat, ei se nolle primatum occupare dixisset, tunc Atrebatensis responderat commodum esse exterarum provinciarum episcopis litteras non præjudicii mittere ; quas, postulante Maximiliano, ipsa Margarita Brugensi et Yprensi misit [4]. Concilium tamen non habitum est et, ne Maximilianus toti ecclesiæ Belgicæ Granvellanum præesse obli-

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 164 et 245.

2. *Ibid.*, II, p. 164.

3. *Ibid.*, II, p. 127 et 245

4. *Ibid.*, II, p. 127.

visceretur, Morillonius cardinalem hortatus est ut ei exemplar mitteret bullæ, qua novi episcopatus instituti essent et Granvellano primatus concessus, quod semper, inquit, Cameracensis stomachatus est [1].

Titulo tantum Maximiliani auctoritas aucta est, nam reipsa regio minor Cameracensi ecclesiæ subjecta est. Ad Cameracensem provinciam pertinuere diœceses, quæ antea provinciæ Remensis erant, Atrebatensis, Tornacensis, nova Audomaropolitana ex Morinensis portione creata, et Namurcensis, quæ ab ecclesia Cameracensi disjuncta est. Perdidit autem, quod magno ei detrimento fuit, archidiaconatum Antverpiensem, qui novus episcopatus factus est, et archidiaconatum Bruxellensem, qui archiepiscopo Mechliniensi tributus est; item ex duodeviginti quatuor decanatus.

Itaque fines ecclesiæ Cameracensis et Mechliniensis terminare volenti Granvellano Maximilianus obstitisse videtur, et cardinali scripsit Viglius eum non sine magno artificio in possessionem parochiarum ecclesiæ Cameracensis, quæ Mechliniensi tributæ essent, iturum esse [2]; non artificio utendum esse Granvellanus respondit, sed officiales Cameracenses tantum detrudendos et jus suo nomine dicendum [3]. Maximilianum ipsum objurgabat, quod cum Brabantinis Statibus se conjunxisset ne suæ diœcesis partis in possessionem iret [4]. Morillonius Granvellanum impellebat ut Maximiliani malæ voluntati crederet eique in memoriam reducebat quid cum Statibus et abbatibus Brabantinis et marchione Bergensi contra episcopos Maximilianus molitus esset [5]. Maximilianus autem Granvellano scripsit se nunquam impedire voluisse quominus in provinciæ Mechliniensis possessionem Granvellanus

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 294.
2. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 493.
3. *Ibid.*, IX, p. 85.
4. *Corr. de Granvelle*, I, p. 165-166 (die 12 mensis Martii 1566).
5. *Ibid.*, II, p. 487-488.

iret, nec tunc velle [1]. Immo eo tempore a Granvellano Maximilianus petebat ut ipsi de monasterio Valcellensi operam daret, nec tunc dubitavit modestiorem se gerere quam reipsa fuit.

Maximilianus quidem non aperte favere poterat civitatibus quæ non æquo animo a Cameracensi episcopatu disjunctæ sunt. Antverpiensis senatus Margaritæ scripserat cives exterosque mercatores persuasum habere novum Antverpiæ episcopum institutum esse tantum ut Inquisitioni subjicerentur, cum episcopi Cameracensis officialis semper civitatis jura ac privilegia servavisset (die 15 mens. febr. 1562); et frustra Philippus Rex omni metu eos levare voluerat et alia auctoritate usurum esse episcopum Antverpiensem negaverat ac Cameracensis usus esset [2].

Fortasse optare se ut res Antverpiensi senatui succederet Maximilianus non satis dissimulavit; sed haud facile bullarum partem rescindi posse non ignorabat. Itaque cum sub finem anni 1561, Maximilianum Margarita commonuisset pollicitum esse eum Regi se Pauli IV bullis nunquam moram allaturum esse, et ab eo petiisset ut statim in locis quæ a Cameracensi ecclesia disjuncta essent omnem auctoritatem renuntiaret, ne quid impedimenti novis episcopis esset, Maximilianus gubernatricem adiit, eique se nolle cuiquam obsistere professus est [3].

Cum esset Bruxellis, monasteria, quæ bullæ, propter damnum, ei pollicitæ erant, vindicavit. Non modo bellis continuis Cameracesium vastatum erat, verum etiam magnam suæ ecclesiæ fructus partem Maximilianus amiserat. Semper Margarita agnovit quam merito monasteria ille repeteret: sed difficilius erat illi satisfacere. Jam anno 1559 Granvellanus Maximilianum Regi commendaverat [4], et

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 1 (die 4 mensis octobris 1566).

2. *Corr. de Marguerite d'Autriche*, II, p. 108-109, 117 et 119, 307-309 et passim et t. III, p. 1, 5, 40. — Namèche, *Règne de Philippe II*, t. I, p. 243 sqq.

3. *Correspondance de Marguerite d'Autriche*, II, p. 27.

4. *Papiers d'Etat*, V, p. 656.

Philippus examinandum esse quæ Maximiliano monasteria essent tribuenda tunc respondit [1]. Monasterium Valcellense primum ei concessum est; archiepiscopo autem non satis erat, cum ex illius fructibus sustentari non posset ac sumptus facere quos nova dignitas requireret [2]. Etenim non ante præsentis abbatis obitum ad Cameracensem ecclesiam abbatia adjungi poterat et, cum sæpe intra paucos annos abbatia vacavisset, æs alienum habebat ob annua quæ, quotiescumque abbatia vacaverat, multis data fuerant [3]. Itaque alia deinceps monasteria aut tantum annua, quæ ab illis monasteriis solverentur, vindicavit, sicut abbatiam Camberonensem, adjuvante Margarita quæ illius petitionem benigne Philippo Regi tradidit [4], et abbatiam Marchianensem (1563), a qua eo facilius annua ille speravit, quod ipse tanquam abbatem Warlusii, in castello Cameracensi legati, fratrem commendaverat [5]. Sed dum illa annua exspectabat, quæ nunquam obtinuit, Maximilianus « unionem » abbatiæ Valcellensis persequi non destitit.

Summo quidem Pontifici res Maximiliani commendabant et Rex Philippus, qui scripsit commodum fore si abbatia Valcellensis ad ecclesiam Cameracensem adjungi posset [6], et Margarita, quæ unionem pro cunctis damnis ei satisfacturam esse dicebat [7], et Granvellanus, qui tunc Romæ ipse erat : cui Maximilianus negotium dederat ut Pontificem admoneret quam parce viveret, præsertim cum Castellum Cameracense, unde maximum quæstum faceret, rebellavisset [8]. Granvellanus autem pro Maximi-

1. *Corr. de Philippe II*, t. I p. 190.
2. *Corr. de Marguerite d'Autriche*, II, p. 48-49.
3. *Ibid.*, p. 49.
4. *Ibid*, II, p. 27.
5. *Ibid.*, III, p. 60-61
6. *Ibid.*, II, p. 235.
7. *Ibid.*, II, p. 164.
8. *Corr. du card. de Granvelle*, II, p. 4.

liano diligenter agere non potuit. Abbatem quidem Sancti Sepulcri, qui contra Maximiliani repetitionem reclamitabat, tam aspere accepit, ut eum non iterum viderit, et scripsit omnes istos abbates domum remittendos, nec decere eos ita Romæ vagari, ut Cameracensi impedimenta afferrent [1]. Ita autem curia Romana Maximiliano offensa erat, ut in ea non multum spei archiepiscopo esset, qui diceret Pontificem litteras de abbatia Valcellensi a Margarita scriptas pro nihilo ducturum et in angulum rejecturum esse [2].

Etenim abbas Valcellensis, qui Maximiliano archiepiscopo multo majorem quam episcopo esse provinciam atque ita eum quæstum potius quam damnum fecisse contendebat, litteras a Pontifice impetravit ut Maximilianum ad Rotæ judices vocaret qui unionem rescinderent (1564) [3]. Philippus autem pro Maximiliano litigabat acriter atque haud sine jure Pontifici scripsit nihil esse rescindendum ne multi alii, aperta semel fenestra, bullis reclamitarent [4]. Maximilianus quoque, qui in alteram aurem, sollicito de unione animo, non dormiebat [5], Philippo scripsit, si quid de bullis suis, quod ad *motum proprium* attineret, Pontifex deminui pateretur, *motum illum* non jam valere, nec ecclesiam Cameracensem a Remensi disjungi posse, cum nihil aliud esset quod Pontificem posset deterrere quominus Galliæ Regi morem gereret. Itaque et Philippum hortatus est ut Pontifici scriberet se non passurum esse ut sibi, vel fallacibus consiliis, auferretur quod post maturam cardinalium deliberationem « de plenitudine potestatis » Pontifex concessisset [6]. Tandem Maximilianus spem

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 163-167.
2. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 362.
3. *Corr. de Marguerite d'Autriche*, III, p. 212-214.
4. *Ibid.*, III, p. 419.
5. *Papiers d'Etat*, IX, p. 636-637
6. *Archives Nationales*, K, 1502 (die 31 mensis julii 1564).

abjecit [1] et ejus tantum successor de lite illa pactionem fecit : abbas enim Valcellensis Cameracensi archiepiscopo majorem agri sui partem juxta Condæum et Castellum Cameracense concessit [2].

Nova igitur Belgicæ ecclesiæ constitutio fines Cameracensis episcopatus minuerat, sed eum ab extera auctoritate liberaverat ideoque Maximiliani auctoritatem auxerat. Etenim a jurisdictione metropolis Remensis, quæ in dicione Galliæ Regis erat, absolutus est, et, sicut sæpe videbimus, Maximilianus, archiepiscopus ac princeps civitatis, quæ simul lingua, moribus situque non minus Gallica erat quam Belgica aut Germanica, nec semel a Galliæ Rege expetita est, non modo a Gallia omnino discessit, sed tanquam hostis Galliæ fines speculabitur, ubi frequentes erant hugonotorum conventus ac de Condæi, eorum ducis, consiliis Margaritam Albanumque diligenter monebit : atque hac intentissima custodia sancti Imperii Romani ille princeps idemque Belgicæ diœcesi præpositus de Hispaniæ rege bene merebitur.

Archiepiscopus Remensis, quem Pontifex de negotio, quod ipsius valde intererat, non consulueral, vehementer questus est. Neque enim pati poterant sibi Belgicas ecclesias auferri archiepiscopi Remenses, qui per duodecim sæcula episcopos Cameracenses delectos comprobaverant, et ab illis jusjurandum in provincia Remensi consuetum acceperant, et illos ad Remenses synodos advocaverant. Nuper etiam Robertus Croius, episcopus Cameracensis, præscriptionem, quam ad tempus Carolus V in Augustæ Vindelicorum comitiis ad Germaniam pacandam feceral, in sua synodo promulgare coactus, declaraverat se eam

1. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 368-369.

2. Cf. *Registres du fonds de Vaucelles* (Biblioth. de Cambrai). — *Copia bullæ Pii IV unionis abbatis Valcellensis ad archiepiscopatum Cameracensem* (Arch. départ. du Nord, *Lib. sec. titul.* etc. 221). — *Mémoire sur l'abbaye de Vaucelles* (Bibl. Nat. Man. Fonds français 3173). — *Négociations touchant l'abbaye de Vaucelles* (*Ibid.*, 3880). — *Histoire de l'abbaye de Vaucelles* (*Ibid.* 14415).

promulgare tantum salva archiepiscopi Remensis auctoritate, quem metropolitam suum esse profiteretur [1].

Anno tantum 1564 Carolus cardinalis a Lotharingia, Remorum archiepiscopus, palam reclamitavit, cum ad provinciale concilium antistites Cameracensem, Tornacensem, Atrebatensem earumque ecclesiarum capitula advocavit. Nulla fuit advocatis episcopis dubitatio; Remos ire noluerunt. Maximilianus præsertim non dubitavit, nam et de Cameracensis ecclesiæ libertate et de jurisdictione, quam in episcopos Tornacensem et Atrebatensem habebat, agebatur. Attamen de re Margaritam consuluerunt quæ respondit cardinali scribendum eum ignorare non posse ecclesiam Cameracensem, postulante ob graves causas Philippo Rege, in metropolitanam erectam esse ejusque jurisdictioni episcopos Atrebatensem et Tornacensem subjectos, a Remensi vero provincia in perpetuum segregatos ejusque potestate liberatos, eidemque bullas de ea re scriptas mittendas. In summa eos ad synodum Remensem ire vetuit [2]. Margaritæ responsum probaverunt et Granvellanus, quem de re Viglius monuerat [3], et Rex qui scripsit non eos decere, licet Remensis archiepiscopus iterum instaret nec disjunctionis causarum rationem haberet, ad synodum ire [4].

Cardinalis a Lotharingia hanc recusationem non æquo animo accepit. Archiepiscopo Cameracensi respondit « præceptum esse ne res conficeretur nisi vocatis iis ad quos quomodocumque pertineret. At cum admonendi christianissimi Regis Gallorum et metropolitani episcopi cotidie potestas esset, quinquennio quidem post unum metropo-

1. *Protestation de Maurice Le Tellier, archev. de Reims, contre la prétendue érection de l'église de Cambrai en métropole.*

2. *Corresp. de Marguerite d'Autriche*, t. III, p. 499 (die 30 mens. nov. 1564).

3. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 493-494 et 518.

4. *Correspond. de Marguerite d'Autriche*, III, p. 558 (die 3 mens. febr. 1565).

litanum et per occasionem certiorem factum esse eoque modo utrumque indicta causa damnatum [1]. » Idem Pio papæ IV libellum de injuria Remensi ecclesiæ illata obtulit, sed frustra. Maximilianus autem, post synodum cum etiam tum ne cardinalis res repeteret timeret, a Margarita petiit ut per occasionem se et episcopum Atrebatensem, quos cardinalis contumaces declaravisset, quod ad synodum non venissent, ab illo defenderet [2].

Septimo etiam decimo sæculo, cum Cameracum Gallicæ dicionis fuit, Carolus Mauritius Le Tellier, Remensis archiepiscopus, speravit fore ut Rex Ludovicus urbes, quæ jugum archiepiscopi Remensis excussissent, jamjam a se domitas ad officium erga ecclesiam Remensem suam matrem revocaret. Tunc enim non jam inter externam ac Gallicam ecclesiam, sed tantum inter duas Gallicas ecclesias controversia erat. Sexto autem decimo sæculo (quod Le Tellier ipse Ludovicum admonebat), peritissime Philippus religionem ad suam auctoritatem firmandam converterat novamque Belgicæ ecclesiæ constitutionem dederat, ut excussum a Remensis ecclesiæ jurisdictione Belgium facilius oblivisceretur se olim Galliæ partem fuisse et sub Hispaniæ dicione strictius esset [3]. Attamen jus metropolis ecclesiæ Cameracensi litteris pontificiis collatum, usque ad hujus sæculi initium, intactum remansit.

1. Labbe, *Sacro Sancta Concilia*, XV, p. 120-136 et *Gallia Christiana*, III, 51-55.

2. Archives du Royaume de Belgique, *Papiers d'Etat et de l'Audience*, vol. 238, p. 10.

3. *Protestation de Maurice Le Tellier*, etc.

CAPUT III

DE MAXIMILIANO IMPERII GERMANICI PRINCIPE

Nomine magis quam re Maximilianus a Bergis Imperii Germanici princeps erat. Itaque Cameracesium vix ad Germaniæ historiam pertinet. Cum Maximiliano Imperatoris auctoritate opus est, tunc Cameracesium Imperii membrum et partem et se ipsum principem profitetur. Sed Imperatore a Cameracesio tributa exigente, tunc Cameracesium fere a Germaniæ legibus solutum contendit et, cum ad comitia Augustæ Vindelicorum habita se confert, sunt qui timeant ne tunc a comitiis petat ut Cameracesium nulli obnoxium profiteantur.

Etenim, cum Imperatorem orat ut de suæ electionis comprobatione Pontifici scribat, Cæsareæ Majestatis et Imperii vassalum se dicit et Imperatoris auctoritate et mandato gubernaculis Cameracensis sedis deputatum : « Civitas, inquit, Cameracensis ab immemorabili tempore ac ultra omnem hominum memoriam perpetuis temporibus exstitit et est notabile membrum et illius episcopus princeps sacri Romani imperii, qui velut membra et partes inferioris Westphalici circuli cum eodem circulo dicto imperio subjecti fuerunt atque etiam non solum ejus onera et quidquid reliquis statibus communiter injunctum sive impositum fuit sustinuerunt, verum etiam quidquid singulatim ratione dicti imperii in hoc circulo obeundum fuit, præstiterunt [1]. » Item, cum calviniani

1. *Liber secundus*, etc., nº 221, p. 95.

4

Castelli Cameracensis rebellavissent, pacem Augustanam et legem hanc Germanicam « *cujus regio, ejus religio* » evocavit.

Præter hæc, per quatuordecim episcopatus annos, bis tantum Germaniæ principem se habuit : primo cum coronam Germanicam accepit Maximilianus Imperator, deinde cum ad Augustana comitia Cameracensis episcopus ivit. Sollemni autem concilio, ubi coronam accepit Imperator, ipse adesse non potuit. Id enim nuntiatum erat Aquisgrani fore et eo Maximilianus a Bergis ire decreverat : cum autem mense novembri ad illam urbem contenderet, Bruxellis audivit non Aquisgrani secundum Imperii leges, sed Francofurti concilium fore. Tunc, cum non ei jam spatium esset ad veniendum Francofurtum, antequam concilium discederet, cum maxima celeritate legatum misit, qui se excusaret et Imperatori gratularetur [1].

Denique anno 1566 Maximilianus a Bergis ad comitia Augustana ivit, ubi de duabus rebus actum est, quæ utique ad eum attinebant, quarum una fuit tributum exactum ab Imperatore, propter bellum a Turcis commissum, altera controversiæ inter catholicos et hæreticos motæ.

Primum tributa a cunctis ea tantum condicione concessa sunt ut principes, qui ea propriis opibus solvere non possent, pecunias cunctis civibus imperarent [2].

Nescio an huic sententiæ Maximilianus intercesserit. Ad comitia tamen Augustana venerat ut ærario Cameracensi patrocinaretur : etenim septem et viginti millia florenorum pro bello contra Turcas, munimentis, publicoque ærario Imperatori debebat. Tanta pecunia Cameracesii incolæ molestissime moniti erant quibus Germaniæ vinculis juncti essent. Nec mirum est si status Cameracesii et archiepiscopus gravius illud onus ducebant, præsertim ob paupertatem et calamitates, quibus Cameracesium bellis

1. Bibl. de Cambrai, Ms 1168, III, p. 25 sqq.

2. Pfister, *Histoire d'Allemagne* (traduction Paquis), t. VII, p. 481-482.

vastatum laborabat, et ob Cameraci munitionem, quæ tanto sumptui onerique erat.

Non semel et a statibus circuli Westphalici petiit Maximilianus ut diligentissime Imperatori Cameracesium commendarent et ab ipso Imperatore ut Cameracesium Germanicis tributis liberaret : ille autem magno sibi sumptui esse et milites in Pannoniæ finibus dispositos et tot oppidorum munitiones respondit. Per legatum quoque Francofurtum ad sollemne concilium, ubi Maximilianus II coronatus est, missum, archiepiscopus Imperatorem oravit ut Cameracesii misereretur, quod tributa solvere non posset, cujus rei Orangium, Egmontium, Areschoti ducem aliosque Belgii principes testes adhibebat. Quanquam Imperator eum omni excusatione omissa et sine mora tributa solvere jusserat [1], cum ad Augustana comitia Maximilianus ivit, res nondum absoluta erat; nam ad Cameracensem magistratum archiepiscopus ex Augusta die 28 mensis Maii 1566 scripsit Imperatorem dixisse se Cameracenses non omni spe dejectos dimissurum esse [2].

Maximilianus a Bergis et Cameracesii Status, ut a tributis Cameracesium liberarent, liberum ab omni dicione declarabant. Etenim in libellis sæpius memoraverunt Cameracesium immune ante arcem erectam semper fuisse et quanquam, illa erecta, nonnunquam contulerunt, vehementer Imperatorem rogaverunt ut in posterum quoque immune foret.

Cum de illa immunitate nunquam Imperator respondisset, archiepiscopus rem ad comitia Augustana deferre statuit. Itaque Philippi Regis ministri, veriti ne quid in illis comitiis Maximilianus a Bergis de ea re diceret, optabant ne Augustam iret : quem ubi constitit iturum, pronotarius Castillo Granvellano rem, tanquam non levem, scripsit. Philippi regis ministri non agi de Cameracesio in comitiis

1. Bibl. de Cambrai, Ms 1168, p. 21 et 25.

2. *Arch. communales de Cambrai*, GG, IV

voluissent, nam timebant ne tum archiepiscopus consequeretur ut nemini obnoxium Cameracesium, sicut ante exstructam arcem, comitia declararent. Legatus Cantonetus Philippo Regi mense quintili 1565 jam scripserat se operam daturum ne de Cameracesio in comitiis ageretur [1]. Margarita autem ipsa ad illa comitia advocata est, quod Belgium erat in circulo Burgundico et comitem Mansfeldium legatum, qui Belgii jura defenderet, misit [2]. De Cameracesii condicione (quod Philippi ministri timebant) Maximilianus egit et magistratui Cameracensi scripsit nihil se prætermisisse quin consequeretur ut Cameracesium ab omni jure liberum foret [3]. Ut in Belgio res audita est, eam tanquam non minimi momenti Viglius Morillonio, Granvellano Morillonius tradidit [4]. Comitia autem Augustana nihil de Cameracesio statuerunt et rem ad Regem Philippum rejecerunt [5], id est revera irritam fecerunt, nam Granvellanus suaserat ut Rex Margaritæ scriberet ne quidquam ipsa de rebus, quæ a comitiis Augustanis deferrentur, statueret, sed responderet, se exspectare quid Rex decerneret; interea, comitiis dimissis, in Cameracesio non rerum mutationem fore [6].

Res altera, quæ ad comitia Augustana delata est, erat inter catholicos et hæreticos controversia. Ignoramus quid Maximilianus a Bergis de illa re ipse aut egerit aut dixerit, et tantum quid viderit audieritque edisserere libet. Imperator ipse hæreticis non erat infensus; sed, ne principum catholicorum voluntates alienaret, catholica religione utebatur, et, ut pacem Germanicam servaret, studebat ne inter lutheranos et catholicos disceptaretur [7]. Ubi Augus-

1. *Papiers d'Etat*, IX, p. 398.
2. *Corr. de Granvelle*, I, p. 94, nota 2.
3. *Arch. commun. de Cambrai*, GG, IV.
4. *Corr. de Granvelle*, I. p. 278 et 333.
5. *Ibid.*, p. 333.
6. *Ibid.*, p. 161.
7. Coxe, *Histoire de la maison d'Autriche* (translatio, II, p. 450-451.)

tam venit, Maximilianus II ostendit quam pacis studiosus esset, utrique parti vicissim morem gerendo : et lutheranis, pompas catholicas fieri vetando, et catholicis, ad missam eundo [1]. Quanquam comitia petierant ut simul et de tributis et de religione ageretur, controversiæ inter Catholicos et lutheranos postpositæ sunt. Non sane lutheranorum intererat controversias illas in medium vocare, cum ipsi inter se dissiderent; et Imperator comitia convocaverat ut sectas quæ religionem christianam distrahebant frangeret. Ludovicus Zwendius tunc ad Orangium merito scripsit parum comitia de religione actura esse videri et rem in integro fore sicut antea. Imperator enim hoc decretum fecit : Liberam religionem, cui major principum pars adversaretur, differendam esse usque eo donec rursus de re eadem agendum esse videretur.

Maximilianus II non poterat non inservire parti catholicæ, quæ eo magis tum pollebat quod concors erat; hæretici autem inter se dissidebant. Catholici enim, legato pontificis Commendone duce, conjuncti erant et in illis Augustanis comitiis primum catholici principes una mente feliciterque hæreticis obstiterunt : audierunt enim Pontificis hortationes, quas illis Commendo tradidit, et in privato cœtu Tridentina decreta acceperunt [3].

In illis comitiis alii archiepiscopi Maximiliano a Bergis præstiterunt et Moguntinus nomine catholicorum præsulum verba fecit [4]. Non illi pietate Cameracensi archiepiscopo antecellebant; immo inter electores catholicos unus erat qui ecclesiæ Romanæ parum adstrictus videbatur. Ante Augustana comitia, Polweilerus, vir catholicissimus, Granvellano scripserat unum ex ecclesiasticis septemviris se professurum esse lutheranum in proximis comitiis,

1. Pfister, *Op. cit.* VII, p. 471.

2. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* II, h. 77-78.

3. Ranke, *Histoire de la Papauté pendant les* xvi^e *et* xvii^e *siècles* (trad. de S. Cheron), II, p. 167.

4. Gratiani, *La Vie du cardinal Commendon* (trad. Flechier) p. 369-380.

quod tamen ei parum verisimile videbatur, sin aliter hoc universi interitus signum fore [1].

Hoc tantum novimus (quod ad Maximilianum spectat), legatos Cameracenses qui Augustam venerant ecclesiæ catholicæ parum studiosos fuisse et in comitiis negotium Maximiliano facessisse. Illi enim ut sibi confessionem Augustanam sequi liceret petierunt; ut caveret archiepiscopus admonitus erat: his autem monitis credere noluerat [2].

Spectant quoque ad Maximilianum archiepiscopum hæc comitia, quod lutherani Imperatorem tunc impulerunt ut Philippum regem ad ignoscendi voluntatem deduceret, quod archiepiscopo non ingratum fuit. « Sperabant Belgæ, inquit Languet, imperatorem Maximilianum in proximis comitiis remedium aliquod ipsorum malis adhibiturum [3]. » Lantgravius Hassiæ Gulielmus Orangium hortatus erat ut supplicem libellum comitiis porrigeret [4], et Orangius, cum Philippum regem bellum parantem videret, a principibus Germanis opem petiit [5]. Die primo mensis aprilis « nobiles ad Maximilianum Imperatorem supplicem libellum misere, nomine eorum qui relicta Romana religione ad reformatum Evangelium se transtulerant. In eo suppliciter Cæsareæ Majestatis principumque auxilium expetebant, ut consilio auctoritateque sua Philippo Regi persuaderent ut ne sanguinem fidelium ac timentium Deum effundere pergeret atque ita in se familiamque suam iram Dei vindictamque arcesseret [6]. » Comitia autem et Imperator nihil tunc pro Belgis fecerunt, qui, inquit Languet, « ubi viderunt se sua spe falsos, tentarunt extrema. »

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 81.
2. *Ibid.*, I, p. 299.
3. *Ep. secr.* I, 6.
4. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* II, p. 69 70.
5. *Id.*, II, p. 65.
6. Cf. Groen, II, p. 70.

CAPUT IV

QUOMODO MAXIMILIANUS EPISCOPALI MUNERE FUNCTUS SIT

Ita quidem archiepiscopatus muneribus functus est Maximilianus, ut postea non sine auctoritate ad ignoscendi voluntatem Albanum hortaretur et clementia facilius quam armis res componendas esse prædicaret. Duplici ratione hæreticis obnitendum esse videbatur : aut ecclesiæ præponendis sacerdotibus honestis et doctis, qui exemplo et verbis catholicos in Romana fide continerent, aut in hæreticos obstinatos sæviendo. Utrumque egit Maximilianus. Operam enim dedit archiepiscopus ut et Cameracensis provinciæ sacerdotes sui officii essent diligentissimi et ipse hæreticam zizaniam semper secundum ecclesiæ et sacræ sedis præscripta evelleret, quod ex synodis quas habuit apparet.

1. Corrigendis clericorum moribus.

Nec sacerdotes honestos ac doctos instituere exiguum opus fuit. Cum eos visitavisset, Margaritæ et Regi scripsit se tam pravos sacerdotes invenisse ut valde perhorruerit, nec alios habere magis idoneos quos eis substitueret, nec aliud remedium reperisse quam ut eos juberet diligentius studere; post tres aut quatuor menses eos iterum visitaturum esse et tunc in eos se gesturum prout officio functi

fuissent [1]; non enim catholicam fidem servari posse nisi ecclesia omnino corrigeretur [2].

Non ignorantia tantum sacerdotes peccabant, quod minimum eorum vitium erat. Multi enim ab hæreticis stabant, sicut ille juvenis Carmelita qui, Cameracensi ecclesia emotus, anno 1566 libello ad Gubernatricem perferendo subscripsit [3]; sicut etiam duo illi sacerdotes Kilienses juxta Antverpiam, quorum alter, hæreseos accusatus, anno 1565 deprehensus et Maximiliano traditus [4], se ægrotare simulavit et, archiepiscopi ipsius cubiculo receptus, inde noctu per posticum hortum evasit [5]. In ejus locum substitutus a curia metropolitana sacerdos non minus hæreticus erat quam alter, et die quadam quatuor millia auditorum congregavit qui transeuntes Antverpienses sacerdotes occiderent : re autem audita, magistratus eum prædicare vetuit [6]; sed, ut dicit Morillonius, calicis latro fuit ac duos homines interfecit, ut alterius uxore uteretur [7]. Quam multi enim inter illos sacerdotes non ignari modo et hæretici erant, sed etiam vere latrones! Apud Granvellanum quoque Maximilianus queritur de sacerdotum intemperantia quæ brevi finem habitura non videatur. Minus uno mense, tres homines post vinum a tribus sacerdotibus interfecti sunt : quorum unus erat canonicus Antoniæ juxta Tornacum, alius presbyter juxta Letuzam, alius baillivi legatum, qui præcipuus illic catholicorum præses erat, occidit [8].

Ut tantæ intemperantiæ remedium adhiberetur, Margarita Maximilianum vehementer hortabatur ut suæ provin-

1. Paillard, *Histoire des troubles religieux de Valenciennes*, t. III, p. 422-423.

2. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 367.

3. *Corresp., du card. de Granvelle*, I, p. 197.

4. *Ibid.*, I. p. 377-379.

5. *Ibid.*, I, p. 98 et 151.

6. *Ibid.*, I, p. 299-300. — Jacques de Wesembecke, p. 269-271.

7. *Corr. du card. de Granvelle* , II, p. 92.

8. *Ibid.*, II, p. 3.

ciæ sacerdotes sæpissime visitaret. Eidem rex ipse scripsit se suosque ministros nihil commode acturos esse, si sacerdotes sua munia non explerent [1]. De perturbatis Valentianis reprehensus marchio Bergensis Margaritæ respondit archiepiscopum non operam dedisse ut ecclesiis Valencenis presbyteros honestos et doctos præficeret.[3] Quot autem impedimenta Maximiliano obstabant!

Primo, quod non mirum est, ipsi presbyteri Maximiliano repugnant. Missos qui saltem die dominica prædicarent monachos mendicos ægre tulerunt ac frustra Maximilianus jussit libros latine et gallice scriptos de eorum officio, quo diligentius fungerentur, confici [2]. Monasterio etiam jamdudum perturbato regulas edixit, quas illud accepit, sed non observavit [4]. Suum ipsum capitulum habebat visitationi adversum, et Albano suadenti ut Cameracensem provinciam visitaret respondit se, licet non dubitaret quin Cameracensis ecclesiæ capitulum visitationi, immunitatis nomine, intercederet, tamen munus suum moderatissime executurum esse, spem autem habere Ducem ipsi præsto futurum [5]. Etenim capitulum, quod Maximilianum delegerat et tam vehementer a Pontifice petierat ut delectum comprobaret, tunc propter præbendas atque immunitates ab archiepiscopo dissidebat nec ullam negotii ei exhibendi occasionem prætermittebat [6]. Duobus post mensibus, Granvellano Morillonius scripsit Maximilianum suam visitationem nondum incepisse : Eum, inquit, quasi irretiunt quidam de capitulo adducuntque in spem compositionis, quam detrectant, tantummodo ut eum producant et moras nectant [7]. Denique, mense insequenti Maximilianus decre-

1. *Corresp. de Marguerite d'Autriche*, III, p. 237-238.

2. Cf. Paillard, *Op. cit.* II, p. 38.

3. *Ibid.*, III, p. 422-423.

4. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 10-

5. *Ibid.*, p. 38.

6. *Corresp. du card. de Granvelle*, I, p. 163 (die 10 mens. Martii 1568).

7. *Ibid.*, III, p. 232.

vit capitulum visitare honestissime, ait Morillonius, auctoribus amicis [1].

Non autem semper visitationibus favent qui eas suadent. Maximilianus enim apud Margaritam queritur quod ea antistitem Aquicinctinum ex Atrebatensi diœcesi constituerit, qui abbatiam Maricolensem, Cameracensi episcopo subjectam, visitaret, unde, inquit, vereor ne quis me de negligentia aut simulatione apud te accusaverit; sin aliter ecclesiæ disciplina contra jus et antiquam rationem perturbaretur [2].

Denique minime ad ecclesiam Cameracensem corrigendam Maximilianum curia Romana adjuvat, quæ pravis sacerdotibus ab eo summotis facilius ignoscat. Ad Granvellanum, qui tunc Romæ erat, de illa indulgentia Maximilianus vehementer queritur, sacerdotibus bono exemplo fore, si presbyteri isti nequam et improbi, cum Romam irent ut sibi ignosceretur, remo publicæ triremis affigerentur: eos enim cum venia impetrata meliores rarissime reverterentur, pessimum exemplum prodere [3]. Illæ Maximiliani litteræ curiæ Romanæ erant molestæ, quæ quid Romæ ageretur eum scire non posse dicebat [4]. Sed si Pontificem Maximilianus non ipse adiit, ei non semel scripsit quantopere sua interesset ut sacerdotes doctos ac probos haberet. Ejus autem litteras Pontifex ne legit quidem et dolet Maximilianus nullam curiæ Romanæ religionis, in Belgio tam afflictæ, esse curam [5].

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 284.
2. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 10.
3. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 3.
4. *Ibid.*, I, p. 163-167.
5. *Corresp. de Philippe II*, t. I. p. 366-367.

2. Synodis ut servarentur decreta Tridentina convocandis

Attamen Maximilianus summa vi agebat ut secundum Pontificis præcepta pacem ac disciplinam in ecclesia restitueret. Plurimum conducere arbitrabatur, si Pontifex concilium Tridentinum servari quamprimum juberet, quod in Belgio pro nihilo duceretur; laicos enim aperte profiteri non mirandum esse si ipsi concilium non respicerent, cum clerici maxime obsisterent [1].

His litteris Maximilianus quo studio suæ provinciæ decreta Tridentina imponere vellet satis ostenderat. Superiore jam anno synodum habuerat secundum Concilium Tridentinum, « quo sancitum fuerat ut provincialia concilia, sicubi omissa essent, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis, renovarentur [2]. »

Hæc autem Maximiliani voluntas mira videatur reputanti archiepiscopum Tridentino concilio interesse noluisse, quamvis institisset Pontifex. Etenim die 30 mensis martii 1563 Pius Papa IV ei ultimum scripserat : « Cum autem sciamus jam ab hæreticis qui in istis partibus sunt non imminere ipsi ecclesiæ tuæ periculum, multo vero minus ab illis qui sunt in Germania interjectis inter ecclesiam tuam et illos tot provinciis quæ sub dicione sunt carissimi in Christo filii nostri Hispanorum regis, maturum esse duximus hortari in Domino fraternitatem tuam... ut officii memor ad concilium ire ne diutius differat... Iturus est ex iisdem istis locis episcopus Atrebatensis adeo senex et alii nullum incommodum recusantes [3]. »

1. *Corr. du card. de Granvelle*, II, p. 3.
2. Labbe, XV, p. 181.
3. Le Glay *Cameracum Christianum*, Introduction historique, p. L.

Sed quanquam Tridentino concilio Maximilianus non adfuit, nullus tamen episcopus diligentius curavit ut illius concilii decreta in provincia sua servarentur. Cum enim Margarita ab omnibus Belgii episcopis quæsiisset quomodo decreta illa servanda essent, Maximilianus statim de ea re cum capitulo suo deliberationem habuit synodumque provincialem advocandam respondit. Neque ex parte, sed integra illa decreta Belgio imponenda censebat, ut ab omni lite caveretur et omnibus decreta facilius imponerentur, primum Regi publice recipienda, antequam synodus provincialis cogeretur; sin aliter non modo metropolitanam ecclesiam, sed fere omnes ecclesias collegiales et multas Cameracensis diœcesis alias usus, privilegia juraque sua præ se laturas; publicato autem Concilio, neminem in synodo decreta rejicere aut de iis controversiam facere ausurum, aut, si quis repugnaverit, statim Pontificem monendum. Hæc præsertim promulganda ac servanda decreta censet, quæ post diœcesis Cameracensis visitationem maxime necessaria illi visa sunt, sicut de pastorum « residentia, » de promovendis ad sacros ordines, de beneficiis nec infantibus nec aliis non idoneis conferendis, de curiis pluribus non uni tribuendis, de censura non temere aut ob leves rationes facienda [1].

Philippus Rex fere ante alios decreta Tridentina primum in Hispania, dein in Italia et in Belgio promulgari jussit. Dogmata quidem Tridentina toti ecclesiæ catholicæ servanda erant; decreta autem, quæ ad ecclesiæ disciplinam, constitutionem cærimoniasque pertinent, in his tantum diœcesibus aut gentibus valebant, a quibus excepta erant et promulgata [2]. In Belgio Status Concilium ac Privatum contra hæc decreta multa dixerant : quæ alii Regis auctoritati et jurisdictioni, alii religionis libertati contraria esse

1. Le Plat, *Monumentorum ad historiam Concilii Tridentini pot ssimum illustrandam spectantium amplissima collectio*, t. VII, p. 56-59 et 127-133.

2 Martin Philippson, *La Contre-révolution religieuse au XVI^e siècle*, p. 588-589.

ducebant, et resistentibus ipsa ducissa Parmensis assentiebat [1]. Sed anno 1565 Concilii Tridentini publicatio in Belgio decreta est et die 24 mensis junii in sua provincia Concilium publicare Maximilianus jussus est [2].

Jam synodum provincialem indicere Maximilianus constituerat ac sub finem anni 1564 de ea re Duaci cum episcopo Atrebatensi et suorum suffraganeorum legatis collocutus erat [3]. Primum ad tertium ante Pascham diem synodum indixit; sed mox eam protulit, « quia propter certas arduas et graves causas, quae a perpaucis citra diebus obvenerant, dicta dies rebus gerendis nondum satis commoda fore timebatur atque nonnullis ejus comprovincialibus minus opportuna [4]. » Morillonius autem qui causis, quas profitetur Maximilianus, non nimis confidere solet. contendit eum synodum protulisse « ut regis exspectaret sententiam super publicatione Concilii [5]. » Cum vero synodi Cameracensis fuit initium, Maximilianus Regis sententiam de concilii publicatione cognitam habere poterat, sed Margaritae litteras, pridie tantum missas, nondum receperat.

Maximilianus autem non jam tantum valere Concilii publicationem arbitrabatur, ut in provinciali synodo resistentes contineret. Itaque Margaritae scripsit se suosque suffraganeos censuisse, quo major foret illi Concilii publicationi auctoritas, mittendum nobilem virum, qui Regis voluntatem in synodo declararet : ita enim audaciam frangi posse, si quis rei tam laudabili obsistere vellet, et eos qui mirarentur res multas in ecclesia renovari, ad decreta Concilii sincere accipienda magis inclinaturos [6].

Summo igitur cum gaudio Maximilianus audivit (die

1. Th. Juste, *Les Pays-Bas sous Philippe II*, t. I, p. 454-459.

2. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 29 et 31.

3. *Papiers d'Etat de Granvelle*, VIII, p. 532.

4. Labbe, XV, p. 182.

5. *Papiers d'Etat de Granvelle*, IX, p. 163.

6. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 31.

24 mensis junii) missuram Margaritam qui Regis nomine synodo adesset; et Hoppero se scripsit illas Margaritæ litteras opportune accepisse ut nonnullos ad repugnandum paratos contineret, quibus non acceptis nescire quomodo quidquam commodi fecisset; nunc autem sperare, Deo adjuvante, eos sibi temperaturos non modo quia infirmiores essent, sed etiam propter illas litteras et præsertim si Margarita exsequeretur quod se facturam dixisset. Philibertum Bruxellium, ex Concilio Privato, juris, reipublicæ ac dicendi peritum, religiosum, mitemque, qui diu inter Philippi ministros et in difficillimis rebus maxima auctoritate valuit, procuratorem commendaverat, ideo quod ille et concilium publicandum censebat et decreta Tridentina optime noverat [1]. Norcarmium etiam designaverat, illi muneri valde idoneum, et marchionem Bergensem ejusque legatum Warlusium ad suam synodum mitti cupiebat; sed, uti ipse scripsit, timeo ne nostri marchionem tantum « pro emendicatis suffragiis » et Warlusium tanquam ejus in castello legatum existiment [2].

Quorum autem omnium nemo Cameracum venit. Synodo tamen complures adfuerunt, episcopi comprovinciales, Atrebatensis, Namurcensis, Audomaropolitanusque, non autem Tornacensis, Carolus Croius, nuper vita functus; episcopus Chalcedoniorum, Martinus Cuperus, Maximiliani suffraganeus vicariusque generalis in spiritualibus et temporalibus, delegati insignis capituli metropolitanæ Cameracensis cathedraliumque ecclesiarum Tornacensis, Atrebatensis, Namurcensis et Audomarensis, reverendique domini abbates quamplurimi ac capitulorum primariæ ecclesiæ collegiatæ sancti Gaugerici Cameracensis beatæ Mariæ Walincurtensis, sancti Germani Montensis, Condatensis, Binchiensis, Antoniensis, Ariensis, Sancti Amati,

1. *Les Tombeaux des hommes illustres.* — *Biographie Nationale.* — AZEVEDO, *Généalogie des van der Noot*, p. 121. — *Corr. du cardinal de Granvelle.* I, p. 96, not. 3.

2. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 29.

Sancti Petri Duacensis, Sancti Audomari Lileriensis, sanctæ Gudilæ Bruxellensis, Anderlachtensis, Lirensis, Turnhontensis, Teneramundensis, Alostensis et plurium aliorum capitulorum diœcesis et provinciæ Cameracensis respective ecclesiarum collegiatarum delegati et procuratores ac quamplurimi archipresbyteri seu decani Christianitatis curatique diœcesis Cameracensis et plurimorum quoque abbatum, abbatissarum, priorum et præpositorum procuratores, ad prædictam synodum specialiter missi; multi denique tam ex Lovaniensi quam Duacensi Academiis sacræ theologiæ jurisque canonici doctores, ab archiepiscopo evocati [1].

Non opera pretium est totam synodum, deliberationes, Maximiliani cohortationem aut Richardoti, Galeni aliorumque orationes referre, quanquam de iis in Belgio atque etiam foris non semel mentio facta est. Maximilianus enim de sua synodo Regi sæpenumero scripsit; Morillonius Galeni orationem, quem dicit doctiorem esse quam disertiorem [2], Granvellano misit; Regi etiam Margarita Cameracensem synodum rettulit, quia fama erat synodum illam Philippo legatos de ejus edictis esse missuram : quod autem ei scribit se ipsam non audiisse, ceterum prohibituram esse secundum Regis voluntatem ne legati illi proficiscantur [3].

Quod in hac synodo egit aut dixit Maximilianus maxime ad hoc opus pertinet. Observandum igitur primum quantopere ut synodus omnia decreta Tridentina reciperet laboraverit. Charta autem acceptionis ita erat : « Ego N. omnia et singula quæ in sancta synodo Tridentina definita et statuta sunt, palam recipio, necnon veram obedientiam summo Romano pontifici spondeo et profiteor; simulque hæreses omnes a sacris canonibus et generalibus conciliis præsertimque a prædicta synodo Tridentina damnatas,

1. Labbe, XV, p. 183.
2. *Corr. du card. de Granvelle*, I, p. 15.
3. *Corr. de Philippe II*, t. I, p. 377.

publice detestor et anathematizo [1]. » Maximilianus, cui primo charta porrecta est, obedientiæ exemplum dedit nec resistentibus obviam ire dubitavit, namque « habuit orationem qua declarabat quod etsi multa in dictis decretis continerentur, quæ ipsis episcopis essent non solum oneri, sed molesta quoque et dispendiosa, tamen perpendens piam in hac re patrum intentionem et quod alia via ecclesia reformari non possit et hæreses exstirpari, libenter se illa omnia et singula recepturum et professurum dixit, juxta formulam in eadem charta descriptam, omnesque alios per viscera domini nostri Jesu Christi, ut ad suam imitationem idem præstare vellent, serio cohortatus et obtestatus, suæ obedientiæ fideique professionem fecit juxta tenorem et formam dictæ chartæ [2]. »

Tres quidem episcopi suffraganei chartam integram acceperunt, plerique autem delegati et procuratores cathedralium ecclesiarum aut abbatum et abbatissarum alii « secundum dictæ chartæ tenorem professionem facere statim recusaverunt, prætendentes sua quædam privilegia debere manere salva, » alii « de suis quoque protestabantur exemptionibus, » aut accipiebant decreta « salvis tamen moderamine et declaratione desuper facienda et impetranda a sancta sede apostolica. » Quibusdam Maximilianus biduum concessit ad maturius deliberandum; sed postero die recitari jussit « litteras apostolicas Pii papæ quarti confirmationis decretorum et definitorum sacri concilii, quo omnes intelligerent quam severe idem sanctissimus cuperet omnes compelli ad illorum receptionem et observationem [3]. » Denique Maximilianus resistentes ad obedientiam redegit et ultima synodi die gratias omnibus egit quod vere sincerum bene faciendi studium ostendissent. Inde fit, inquit, « ut facile mihi persuadeam et confidam unumquemque vestrum non minore studio hoc apud suos, quibus præest,

1. Labbe, XV, p. 193. — François de Bar, *Op. cit*, p. 141-142.
2. Labbe, XV, p. 193-194.
3. *Id.*, p. 197.

acturum, ut quæ in sacro œcumenico concilio Tridentino sancita et hic jam acceptata et recepta sunt, in primis ipse præstet et secundum hic præscriptum et constitutum ordinem et modum observet ac deinde suo tam exemplo quam verbo idem illos facere doceat [1]. »

Maximilianus igitur facilius quam archiepiscopi Mechliniensis et Trajectensis ut sui Concilium Tridentinum acciperent consecutus est. Viglius ipse scripsit in oratione *De Philippo secundo Rege* : « Quamvis vero multo labore Cameracensis id obtinuisset archiepiscopus, tamen Mechliniensis et Trajectensis frustra cum suæ diœceseos clero agebant, cujus tanta erat in iis quibus jam olim assueverat, sive vitiis, sive abusibus, ut vocant, retinendis pertinacia [2]. »

Ea in primis decreta, quæ ad clericorum, religiosorum doctorumque munia et disciplinam pertinebant, synodo Maximilianus commendavit. Ex viginti duobus synodi Cameracensis capitulis tredecim fere unice de clericis sunt : de theologicis lectionibus in capitulis et monasteriis, — de seminario, — de doctrina et prædicatione verbi Dei, — de cultu, cærimoniis et officio divino, — de ministeriis ecclesiasticis, — de vita et honestate clericorum, — de examine episcoporum, — de examine pastorum, de residentia episcoporum et curatorum, — de pastorum residentia et eorum officio, — de visitatione, — de potestate ac jurisdictione ecclesiastica, — de monasteriis virorum et mulierum. — Novem tantum alia sunt de fidelium officiis, quæ quoque docent quomodo pastores in fideles suis muniis sint functuri, sicut de libris hæreticorum suspectis et vetitis, — de scholis, — de matrimonio, — de decimis, oblationibus et portione canonica, — de purgatorio, — de sanctis, — de imaginibus, — de reliquiis, — de indulgentiis [3].

Quæ quidem capitula singula ita concluduntur : « Ut

1. Labbe, XV, p. 205.
2. *Mémoires de Viglius, De Philippo secundo rege oratio*, XLIV, p. 110.
3. Labbe, XV, p. 151-179.

ex concilio Tridentino decretum accepimus » et sub finem : « Postremo mandat hæc sancta synodus omnibus et singulis episcopis, abbatibus, capitulis et aliis quibuscumque personis ecclesiasticis et sæcularibus ut præmissa omnia et singula et quæ a sacro concilio Tridentino constituta sunt, districte observent et observari faciant, sub pœnis inibi respective contentis [1]. »

Postremo Maximiliani mens tota in *Publicatione Concilii* est, unde apparet non ex mandato, sed bona fide decretis Tridentinis Maximilianum assentiri. Non possumus, inquit, « infitias ire quin sacrorum canonum neglectu morumque deformatione ac vitæ dissolutione » hostibus ecclesiæ arma dederimus. « Proinde licet causas nobis satis idoneas oblatas esse judicemus, ex concilii Tridentini mandato, quare synodum nostræ provinciæ quam primum cogeremus, tamen ea res nos impulit maxime, quod veterem ecclesiæ consuetudinem hoc tempore restitui debere censeamus, cum aliis plurimis rationibus inducti ac publico periculo moniti, tum ut quæ mala in ecclesiam invexit vitæ dissolutio, eadem morum reformatione tollantur [2]. » Etenim ex suæ provinciæ visitatione intellexerat ecclesiæ miserias e pastorum intemperantia natas et remedium esse in decretis Concilii Tridentini a provinciali synodo acceptis : « Cum sæpius inter nos de periculo quod maximum ecclesiis impendet, depellendo quæreremus, hæc una in ceteris sacra nobis ancora visa est, si mature concilium provinciæ Cameracensis haberetur : in quo cum de restauranda disciplina, tum vero de doctrina Christiana conservanda inter patres agitaretur. » Id maxime exoptat « ut quidquid œcumenicum concilium Tridentinum statuerit, id sacro sanctum omnibus sit et inviolabile, quidquid idem anathemate damnaverit, id ut omnes execrentur » [3].

1. *Labbe*, XV, p. 179.

2. *Id.*, p. 147.

3. *Id.*, p. 149.

Provincialis synodi publicationis summa erat exspectatio : die 20 mensis Novembris Granvellano Morillonius scripsit concilium Cameracensis episcopi nondum impressum esse [1], tanquam illam publicationem publicis calamitatibus in Belgii parte remedium futurum esse existimaret. Sed postquam impressum est, concilii Tridentini decreta non servata sunt, nam postea apud Granvellanum Maximilianus questus est ea a laicis violata esse, quia præsertim a clericis non servata essent [2].

Ut Tridentinum concilium reciperetur, Maximilianus Margaritæ non provincialem modo, sed etiam diœcesanam synodum suaserat, quæ provincialis synodi decreta ut diligenter servarentur curaret [3]. « Nobis, inquit, sedulo curandum existimavimus in hac nostra diœcesana synodo, ut non solum ex Patrum sententia dicti Concilii (Tridentini) decreta et canones publicentur, verumetiam ab omnibus una cum synodi provincialis nuper a nobis habitæ constitutionibus ac decretis recipiantur et diligenter observentur. Id vero quo fieri possit commodius et horum temporum necessitati efficacius provideatur nonnulla decretorum capita congessimus ab omnibus nostræ diœcesis ordinibus inviolabiliter observanda. Non tam quo novi quippiam statuere velimus, quam ut de illis exequendis et observandis quæ tum Concilium Tridentinum, tum provincialis nostra synodus decrevit, certa quædam facilis et commoda sit omnibus et singulis constituta ratio [4]. »

Quemadmodum provincialis synodus ad clericos potius pertinebat, ita diœcesana potius ad laicos, quippe cujus decreta Maximilianus « clericis nec non et laicis nostrarum civitatis et diœcesis Cameracensis » miserit. Illa enim

1. *Corr. de Granvelle*, I, p. 15.

2. *Ibid*, II, p. 3.

3. Le Plat, p. 58.

4. *Synodus Diœcesana Cameracensis celebrata anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo mense octobri* (Impressum Bruxellæ apud Michælem Hamontanum, 1567), p. 1-2.

decreta sunt potius de dogmatibus et sacramentis a Tridentino concilio confirmatis quam de clericorum officiis: nam tantum quatuor sunt capitula de vita et honestate clericorum, — de archipresbyteris seu decanis parochorum, — de lectionibus theologicis, — de sacris ordinibus; plura autem de officio divino, — de parochorum exercitiis, — de sacramentis, — de baptismo, — de pœnitentia et peccatorum confessione, — de confirmationis sacramento, — de eucharistia et missa, — de matrimonio, — de extrema unctione, — de sepultura ecclesiastica et exequiis.

Nimio autem atque intempestivo studio, in illa diœcesana synodo Maximilianus fuisse visus est, vel quibusdam qui religionis catholicæ studiosissimi erant, sicut Morillonio qui cuncta in Maximiliano reprehendit. Ut synodus clausa est, præpositus Aerensis Granvellano scripsit Maximilianum jussisse ab omnibus pastoribus nomina omnium qui ad sacram communionem accederent aut ea abstinerent, notari; si hoc imprimeretur, clericos invisos fore et multos dicturos inquisitionem in Belgium intromissam[1].

In summa, suo officio in Cameracensi provincia Maximilianus optime functus est, ut pastores haberet qui Tridentina decreta observarent atque ita ecclesiam catholicam restituerent; et cum non tanquam e multis episcopus haberetur, Regi ejusque ministris cura erat quid ageret et quid inde fieret.

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 55.

CAPUT V

QUOMODO MAXIMILIANUS HÆRESI IN CAMERACESIO CAMERACENSISQUE ECCLESIÆ PROVINCIA OBSTITERIT

Archiepiscopi quoque hæreticis resistere officium erat, atque ita in Cameracesio aut in Hannonia iis adversatus est, ut non omnino pristinæ tranquillitatis restituendæ imperitus videretur. Cum Maximiliani et archiepiscopi et principis imperium inter illos Belgii tumultus periclitaretur, magis ejus pax publica intererat quam ut ei Philippi ministri aures non præberent. Aliud autem in sua provincia egit, aliud pro toto Belgio suasit : in Cameracesio enim severus fuit, in toto Belgio res componendas per clementiam censebat. Severus autem et clemens ecclesiam catholicamque fidem utique firmare voluit : atque ita res et tempora mutata erant ut satis intelligi possit cur a se ipso dissentire videretur; denique sævitia qua in Cameracesio usus est majorem ei auctoritatem dedit, ut postea clementiam prædicaret.

1° Finibus Galliæ custodiendis ne Galli hugonoti cum Gheusiis se conjungerent.

Primum illi erat Cameracesium defendendum a Gallis calvinianis, qui Cameraco, Castello Cameracensi aliisque Cameracesii urbibus et hæreticam pestem et arma inten-

tabant. Non modo sibi, sed etiam Belgio ita consulebat Maximilianus, cum hugonotos Condæumque, qui cum Gheusiis communicare tentabant, specularetur et Margaritam Albanumque de eorum insidiis moneret. Etenim per Cameracesium a Gallia in Belgium quasi transitus erat; exempli causa, cum calviniani Margaritam audivissent magnas pecunias Carolo IX missuram, juxta Cameracum insidiis positis, eas interceperunt [1].

Res Galliæ e Cameracesio quasi spectanti videntur maxime ad Condæum pertinere, qui hæreticis in Gallia, Maximiliano a Bergis sedem Cameracensem obtinente, præfuit. Condæus ille, brevis statura, deformis, dissolutus, nihil pensi atque sancti habens ut summa acciperet, sed strenuus, bellus et humanus, ob utramque rebellionis, quæ cum Galliam tum Belgium turbabat, causam contra regem rebellaverat. Cum Guisii summam a rege gratiam iniissent, proceres qui gallice *malcontents* dicebantur, Guisiorum factioni Borbonios opposuerunt, et Condæus, Antonio quidem natu minor, iis autem virtutibus, quæ factionis principem decent, præditus, rebellantibus ducem se præbuit. Borbonii autem calviniani erant: itaque Condæus et *malcontents* et hugonotorum dux fuit et, si illius inimicis fides habenda est, non hugonotorum modo rex fieri voluit, sed etiam totius regni : etenim in nomismate, secundum catholicos ab hugonotis, a catholicis secundum hugonotos signato, legitur « Ludovicus XIII, Dei gratia, rex primus christianus ». Nonnunquam quidem muliebris Catharinæ comitatus illecebris se dedidit; sæpius autem fortiter pugnam manu capessivit : ad Drocum captus est et ad Jarnacum pugnans interfectus.

Gheusiorum socius, catholicorum Belgarum hostis vere fuit, cum anno 1561 Picardiæ præfectus est. Tunc enim cum Gheusiis facile communicare potuit et eodem modo cum Anglis, a quibus auxilia petebat. Itaque Cameracesii

1. *Corresp. de Marguerite d'Autriche*, II, p. 489.

et Belgii finibus quasi oberrabat, ut, occasione data, sociis suis opem ferret; quibus anno 1567 declarantibus totum Belgium, eo accedente, ad arma iturum respondit ante unum mensem se in Belgio suos amicos in libertatem vindicaturum [1].

Illæ autem Condæi insidiæ eo majorem Belgis catholicis sollicitudinem afferebant, quod in Gallia rex ejusque mater nonnunquam cum hugonotis et ipsis Gheusiis adversus Philippi regnum consentiebant. Etenim Catharina Medicea, quæ vere in Gallia res tunc administrabat, quibus modis imperium servaret nihil pensi habebat : itaque modo a catholicis, modo ab hæreticis stabat, ne factio altera alteram ita superaret ut Catharinam ipsam detruderet. Cum Carolus rex cum hugonotis pacem faciebat, de suo Belgio Philippus timebat : Catharinæ enim, cum in regno quieta omnia a bello essent, non displicebat catholicorum hugonotorumque exercitus e Gallia ejicere et Hispanos opprimere. Illa quidem reginæ consilia fere ad finem venerunt cum, pace anno 1570 facta, hugonoti apud regem auctoritatem sibi comparaverunt et adversus Hispanos Galliæ regem ad fœdus cum Angliæ regina sanciendum inducere voluerunt. Tunc Alava scribebat palam fremere Caroli regis exercitum, pace in Gallia restituta et omissis prioribus discordiis, bellum foras ferendum et pœnas a Philippo repetendas, qui Caroli sororis mortem fecisset [2].

Itaque idem Belgio periculum bellum et pax Gallica conflabant : bellum Gallicum quasi movebat Belgicum, cum Gheusii ab hugonotis opem sperarent; pace autem in Galliafacta, et ab hugonotis et a regio exercitu auxilium exspectabant.

Eo majore studio Gallis intendit Maximilianus quod, si procederent, Cameracesium primum erant invasuri; nec

1. Alavæ epist. die 12 mens. oct. 1567, Arch. Nat. K. 1508.

2. Alavæ epist , die 31 mens. julii 1570, Arch. Nat. K. 1516.

semel a Margarita Albanoque auxilia ad suum comitatum defendendum petiit. Quamvis diligentissimus præsidiarius inter Belgium et Galliam fuerit, ne quæ egerit archiepiscopus Cameracensis laudando augeamus. Non per illum unum Margarita aut Albanus de omnibus rebus, quas in Galliæ finibus hugonoti moliebantur, certiores facti sunt. In Gallia erant Philippi regis legati qui cuncta observabant et Philippum ejusque ministros monebant, primum Cantonetus, dein Franciscus Alava, quorum litteræ supersunt. Inter ipsum Maximilianum et Alavam epistolarum commercia fuerunt: Alavæ archiepiscopus indicia consiliaque dedit aut ab eo petiit, et quindecim litteras habemus annis 1566 et 1567 ad Alavam scriptas. Sed quidquid a Maximiliano audiebant Margarita et Albanus non pro nihilo putabant: immo multa per eum unum noverunt [1].

Archiepiscopi enim ab anno 1564 fuit ad Condæum emissarius, cujus nomen in litteris non dicit Maximilianus, Margarita autem non ignorabat [2]; quæ ei officii mercedem tribuere solebat, ut e Maximiliani litteris apparet; maio enim mense anni 1565, cum eum jamdudum non vidisset, Margaritæ scripsit timendum ne homo arbitraretur sua officia non grata fuisse; itaque quodam munere eum excitandum [3]. Condæo aliqua erat de ea re suspicio et Margaritam Maximilianus monuit emissarium illum Cameracum venisse et diu narravisse se a Condæo accusatum quod multa ad archiepiscopum aut alios rettulisset; bene autem, approbante Condæo, se purgavisse [4].

Ab illo emissario et aliis, qui Cameracum veniebant, edoctus, Maximilianus unus e primis anno 1564 Margaritæ scripsit quam vehementer hugonoti, qui jam in gratiam cum Catharina redierant, in Galliæ finibus labora-

1. Arch. de Belgique, *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 7.
2. *Ibid.*, p. 1.
3. *Ibid.*, p. 21.
4. *Ibid.*, p. 2.

rent [1]. Hugonotis enim cum Gheusiis libere communicare tunc licuit et die 27 mensis aprilis in synodo ad Firmitatem Auculphi habita, quo sex et quadraginta pastores e Campania, Picardia, Bria et Vexino convenerunt, Theodori Bezæ recitatis litteris, quibus eos hortabatur ut de Belgicis rebus deliberationem haberent, locum esse Belgis rebellandi majori parti visum est: de Caulaincourt, qui Quintinopoli præerat, mille equites pollicitus est et hugonoti, per speciem prædicationis, mille alios circa Crispiacum in Valesia contracturi erant [2]. Ipsa autem Catharina, quanquam Orangio amica erat, mox timuit ne hugonoti non Belgium tantum, sed et Galliam in discrimen adducerent et, ut ait Granvellanus, agnovit Regis auctoritatem, cum catholica religio periclitaretur, restitui non posse [3]. Itaque calvinianorum impetus in Galliæ finibus quasi repente resedit [4].

Mox autem, cum Alava Margaritam monuisset quo fœdere Orangius cum hugonotorum ducibus conjunctus esset [5], eam Philippus hortatus est ut illos observaret, et eodem tempore Maximilianus ipse gubernatrici tradidit quæ audierat de Mongomerio: nuper amplius quindecim diebus eum fuisse in Flandria, ubi res non bonas tractaret; ducem esse Flandriæ hugonotorum, qui Insulas, Duacum Valentianasque omnimodo tentarent; Tornaci autem et Valentianarum illos fidem in se perspexisse; et, ut propositum assequerentur, duodeviginti aut viginti millia hominum in Flandria habere, qui Mongomerio operam tributuros se polliciti essent nec ei pecuniam defuturam: illos tamen, Peronna et Cameraco non occupato, quietos manere [6].

1. *Papiers d'État*, VII, p. 654 (die 11 mens. april. 1564).
2. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.*, I, p. 207.
3. Groen van Prinsterer, *Op. cit.*, I, p. 270.
4. *Papiers d'État*, VII, p. 654.
5. Arch. Nation. K. 1501 et 1502.
6. Archives de Belgique, *Papiers d'État et de l'Audience*, 228, p. 2.

Illa indicia certissima ideoque utilissima scribere Maximiliani intererat. Itaque non dubitat Margarita quin nova indicia missurus sit, quæ iisdem litteris pollicitus est, et nono post die scribit Maximilianus territos esse Cameracesii incolas ac militem quemdam censuario suasisse ut quamprimum recederet et res suas servaret, quod mox regionem hugonoti invasuri essent [1]. Et ipse Maximilianus forsan facilius pavet; se autem non frustra pavere vult probare et addit multis videri in eo esse hugonotos ut, occasione data, Cameracesium ac præsertim Cameracum occupent. Itaque in extremis litteris Margaritæ aut Albano Cameracum Cameracesiumque commendare solet, et ipse se nihil omissurum, quod ad suæ civitatis custodiam spectet, pollicetur (die 11 mensis januarii 1565) [2].

Mense januario nondum confecto, tres alias litteras de Condæi insidiis Margaritæ mittit; quæ de eadem re non eadem iterant : in singulis sunt res novæ. Primum die 17 mensis januarii, Gallos nova quædam moliri, cum multi hugonotorum duces milites conscribant et jam clericos male habeant [3]. Eo tempore tantum a Maximiliano Margarita admoneri videtur, qui ei scripsit magnopere se mirari non aliunde ad eam indicium delatum esse [4]. Itaque quæ audit gubernatrici accuratius jam tradit : scribit enim die 27 mensis januarii Condæum Picardiæ fines usque ad Caletum, cognoscendi causa quæ sint parum munita oppida, si ea occupare velit, mox perlustraturum esse; ea igitur diligenter custodienda, ne iis potiatur, cum multi Condæo comites futuri sint. Per easdem litteras Margaritam certiorem fecit Mongomerium, qui hugonotorum Flandriæ dux esset, aliquanto ante e Flandria reducem, Marchioni cenavisse et deinde inter Castelletum et

1. Arch. de Belgique, *Papiers d'État et de l'Audience* 238, p. 6.

2. *Ibid.*, p. 4.

3. *Ibid.*, p. 7.

4. *Ibid.*

Peronnam ad Feram, ubi Condæo obvium se futurum esse speravisset, iter fecisse [1].

Perendino die (29 mensis januar.) aliæ litteræ a Maximiliano missæ : hugonotorum emissarios totum Belgium circumire denuntiat et Colinium ejusque fratres in Flandriam quatuor misisse, qui quot hominibus et qua pecunia se, occasione data, Flandriæ ecclesiæ adjuturæ essent, inquirerent. Margaritæ depingit præsertim frumentatoris Picardiæ et Caleti emissarium, qui, quotiescumque it Caletum, per Flandriam reverti solet : Humilem ei esse staturam, latos humeros, nigros capillos, barbam rarissimam; annos cum ad sex et triginta natum, nomine Trojanum et Lutetiam colentem [2].

Omnia illa indicia Alava mox confirmavit; hugonotos enim conjuravisse ut Hamum, Quintinopolim Feramque occuparent, unde cum Belgicis calvinianis, qui Antverpiam erant concitaturi, se conjungerent, die 4 mensis februarii scripsit [3]. Illud autem probat Maximiliani indicia bene accepta esse, quod, Insularum præfecti legato missa epistola, Margarita ipsas Maximiliani de Colinii emissariis et Trojano litteras ad verbum perscripsit. Legato mandat ut quid agant, quibuscum conversentur, quoque sermone utantur, circumspecte et prudenter animadvertat, et, si quid deprehendat molientes, munere fungatur quod ad Regem utilissimum fore videatur [4].

Ante maii finem non supersunt aliæ Maximiliani ad Margaritam litteræ. Deinde usque ad finem anni 1565 rarius scribit episcopus, non quod pericula sint in Cameracesio minora, sed quod nihil jam ab assueto emissario audit [5]. Ab aliis autem quid agat Condæus semper monetur : quem die 20 mensis junii Margaritæ nuntiat pridie

1. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 15 et 16.

2. *Ibid.*, p. 20.

3. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.*, I, p. 224.

4. *Corresp de Philippe II*, t. II, p. 521-522.

5. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 21.

cum maxima celeritate per Peronnam ad Ardream iter facientem transiisse [1]; die 22 per Corbiacum et Ambianum [2]: item die 6 mensis augusti mittit qui ducissæ aperiat quædam negotia non ad Cameracesium modo, sed et ad Regem spectantia [3]. Quatriduo post, aliæ de Gallicis rebus litteræ. Sed jam præsertim pro suo Cameracesio Maximilianus scribit; queritur quod Navarræ regina hugonotos Petrosomonte, in Cameracesio, instituere nitatur: illam fore occasionem, sub prædicationis umbra, agminis cogendi, quod archiepiscopum imbecillum ac prope inermem facile opprimat. Nec sine causa id Maximilianus timebat, cum præsertim e Petrosomonte hæretica pestis Castellum irrepsisset [4].

Etenim annis 1566 et 1567 sæpius litteras Maximilianus scribit, cum Cameracum, Castellum et Valentianæ ab hæreticis opprimuntur et totum fere Belgium perturbatur. Alavam præsertim, a quo petebat quid in Gallia de rebus Belgicis audiret, facit certiorem fœderis inter Gheusios et hugonotos facti et ei ipse hispanico sermone scribit die 30 mensis augusti 1566, cum gravissimis negotiis Belgium commoveretur [5]: etenim nuper conventus Gheusiorum Trudonopoli habitus erat et libellus ad Margaritam missus, « quo partim nobiles se perpurgabant adeo non timide ut oblivionem præteritorum, quam Gubernatrix polliceri videbatur, omnino respuerent dicerentque qua ipsi perpetrassent prædicatione quam taciturnitate digniora esse; partim exposcebant ut Gubernatrix... Orangium, Egmontium atque Hornanum summa cum auctoritate præficeret curandis Fœderatorum rebus componendisque cum Rege... Sic enim restitutum iri pristinam patriæ tranquillitatem certo spondebant, alioqui externa remedia quamvis invitos

1. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 24.
2. *Ibid.*, p. 28.
3. *Ibid.*, p. 33.
4. *Ibid.*, p. 35.
5. Archives Nation. K. 1506.

postremo quæsituros [1]. » Tunc etiam Margaritæ clam nuntiatur reginam Navarræ, Colinium, Orangium hugonotorumque duces de Valentianis, Tornaco, Duaco et Audomaropoli occupandis conjuravisse ; iconomachi ædes sacras depopulati sunt, imaginesque discerpserunt. Itaque Margarita, tumultibus illis quasi victa, fœderatis aliqua remiserat, quibus veniam securitatemque asseruit, reliquis vero potestatem fecit suorum conciones audiendi in iis locis in quibus habitæ fuerant ad eum diem [2]. Magnus igitur erat Maximiliani timor, quanquam in ipsa Cameracena urbe, ubi cives arma sumpserant ut eam a seditiosis et iconomachis tuerentur, prope securus erat [3].

Maximilianum autem non fallebat calvinianos per Gubernatricis promissa ab amicitia cum hugonotis facienda non posse deterreri et die 1 mensis Nov. 1566 Alavæ scripsit Colinium cum Tornacensibus hæreticis, qui conciones suas integravissent, agere Gheusiisque tria millia equitum pollicitum esse [4]. Tum Maximiliani litteræ docent quomodo vis hæretica in dies per totum Belgium ingravescat : die 14 mensis decembris Alavam episcopus monet seditiosos ecclesias et monasteria Bruxellæ, Buscoduci, Bredæ depopulatos esse ibique, quasi in Orangii conspectu, ejusdem majorum ossa dispersisse [5]. De iisdem rebus aliæ supersunt litteræ die 28 mensis februarii 1566, die 14 januarii et 12 februarii 1567 scriptæ [6]; deinceps die 22 mensis febr. eidem significat hæreticos jactare quatuor millia equitum e Germania ventura, eumque percontatur utrum e Germania an e Gallia ; per easdem litteras eum certiorem facit Condæum Anisiacovici esse, quo milites sese cum Belgis

1. *Corresp de Philippe II*, I, p. 437 et 444. — Strada, V, p. 223-224.

2. Kervyn de Lettenhove, *Op. citat.*, I, cap. 14. — Strada, p. 241-242.

3. Kervyn de Lettenhove I, p. 370.

4. Arch. Nat. K. 1507.

5. *Ibid.*

6. *Ibid.*

calvinianis juncturos cogere possit [1]. Eodem tempore quo hæc Maximilianus scripsit, Jenlisius cum quibusdam Cameracensibus seditiosis de Cameraco occupando conjurabat : cum autem cum quingentis equitibus accederet, cives Bohanii eos denuntiaverunt et Jenlisius se recepit. Itaque Maximilianus terrorem rursus concepit et ad ea quæ circa Cameracesium audiebat aut videbat animum magis magisque attendit : die 1 mensis Martii Alavæ narrat cancellarium Brabantinum, quem Buscoducum, ad seditionem componendam, Margarita miserat, a Brederodio deprehensum esse [2]. Eodem mense (die 9 et 15) duæ aliæ litteræ, aliquanto ante Valentianarum et Castelli deditionem scriptæ, supersunt [3].

Cum die 30 mensis decembris 1566 Philippus Rex Margaritæ scripsisset Albanum summum exercitus, quem in Belgium missurus esset, ducem a se electum esse, Maximilianus tandem se auxilia, quæ in plerisque litteris expoposcerat, accepturum sperare potuit. Ille autem exercitus non minus metuendus videbatur quam ipsi seditiosi. « Multis certe, ait ipse Viglius, Albani Hispanorumque militum adventus ingratus formidolosusque est... Omnes ab Hispano milite abhorrent [4]. » Margarita quoque regem abducere conata est ab eo apparatu armorum, quæ nulli jam usui nisi rebus iterum turbandis futura essent, cum militum illorum perditi mores et injuriæ jam spectatæ Belgium terrore implerent. Albani enim exercitus viginti quatuor millium erat qui, et Italici et Hispani veterani ex Mediolani aut Neapolis præsidiis revocati, memoriam contumeliarum, quibus Belgæ eos olim e Belgio egressos insecuti erant, non æquo animo tenebant [5].

Ut in Lucemburgensem provinciam ingressi sunt, mili-

1. Arch. Nat. K. 1507.

2. *Ibid.*

3. *Ibid.*

4. Kervyn de Lettenhove, I, p. 478.

5. *Id*, I, p. 483-484.

tes Albani, qui « Barbæ nigræ » dicebantur, velut in hostico se habuerunt atque ita cuncta spoliarunt nudaruntque, ut jusserit Albanus scelestissimum quemque patibulo affigi [1]. Postridie quam hæc Alavæ Maximilianus nuntiavit, Granvellanus ipse Philippo regi scripsit in arcem Cameracensem Hispanos mittendos, quorum duces Regi tantum et gubernatrici obnoxii essent [2]. Archiepiscopus autem, qui sæpe præsidium requisierat, non sine timore illud accedere audiit. Jam anno superiore questus erat arcis militibus stipendium non solutum esse eosque ob hanc causam omnem circa agrum vastavisse [3].

Die 8 mensis Octobris revocata Margarita Albanoque Belgii præfectura commissa, novo præfecto eo majore studio operam navavit, quod ei nulla pacis et securitatis jam spes erat. Orangius enim cum Albano in gratiam redire minus facile poterat quam olim cum Margarita: itaque bello ingravescente et Gheusiis, hugonotis Albanique exercitu in Cameracesium inter se concurrentibus, multa jam Maximilianus passurus erat. Mense junio 1568, Gheusii et hugonoti rursus Cameracensis arcis occupandæ consilium iniere [4]; itaque intentiorem sui comitatus curam Maximilianus jam habuit, nec quicquam vel minimi momenti de Gallis hæreticis ac præsertim de Condæo audiit, quin Albano statim traderet [5].

Eos in primis timebat qui Cameraco, Castello, Tornaco Valentianisque ejecti erant. E Gallia quoque, ubi se libere acturos speraverant, Carolus rex, postulante archiepiscopo, expulerat [6]. Attamen octingenti nongentive calviniani cum tribus vel quatuor hugonotorum manipulis se conjunxerunt, ut in Cameracesium incursiones facerent. Re

1. Arch. Nat. K. 1507.

2. *Corresp. de Philippe*, I. p. 561.

3. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 37.

4. Arch. Nation. K. 1511.

5. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238. p. 43.

6. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 284.

audita, statim Maximilianus, media nocte (die 22 mensis junii) ab Albano petiit ut præsidia a Querceto, Landericiaco Valentianisque Cameracum mitteret. Non autem sperabat hæc tempore ventura et his verbis epistolam finiit vehementer se timere ne miserabile Cameracesium vastaretur priusquam litteræ Albano perferrentur [1]. Attamen Albanus, sine mora, die 23 ei auxilium pollicitus est ac die 26 Duci Maximilianus gratias egit [2].

Quanquam mense julio 1568 procul a Cameracesio bellum inter Hispanos et Gheusios gestum est, Maximilianus victoriis Albani lætus quasi tutior sibi visus est. Die 23 mensis maii Hispani prope Winschotum et Hiligelæum cœnobium a Ludovico Nassavio victi erant; Arembergius, qui eis præerat, interfectus est; tormenta et cuncta impedimenta a Gheusiis capta sunt. Ad Gemingam vero Ludovicus Nassavius ab Albano die 21 mensis julii victus est. Maximilianus, cui hanc victoriam Albanus ipse nuntiavit, statim ei gratias per litteras egit et clericos, ut quibus ante omnes hæ victoriæ gratæ esse deberent, pro tanto Dei beneficio supplicationes habere jussit [3].

Mense autem septembri, exercitus utriusque partis Cameracesio appropinquant. Victus Ludovicus se conjunxerat cum Orangio eidemque Condæus Vasconicos milites miserat, qui omnia depopulabantur. Albano instante, ad Mosam Orangius agebat. Diu deliberavit utrum ad Flandriam iret (ibi enim Albano paucissimi milites erant), ut portum, quo appellerent auxilia ab Anglis missa, occuparet, an Mosam transiret, ne a Germania intercluderetur : cum autem nec Tillemontem nec Leodium, cujus episcopus portas clausit, capere potuisset, ad Galliam per Cameracesium devertit. Jam die 26 mensis Septembris Albanum certiorem Maximilianus fecerat de insidiis quas hugonoti et Gheusii

1. *Papiers d'État et de l'Audience*, 238, p. 45.
2. *Ibid.*, p. 47.
3. *Ibid.*, p. 49 et 51.

moliebantur eique suum Cameracesium commendaverat [1]. Idem aliis, a quibus opem sperabat, tunc scripsit; mense augusto Morillonio nuntiavit Condæum esse Trecis cum octo millibus militum et se cum Orangio in Lotharingia conjungere velle. Morillonius autem Maximiliano non credidit, quod et litteræ illæ a Maximiliano scriptæ erant et rem non ab aliis audierat [2]. Quam tamen non falsam, post alias Maximiliani litteras, Morillonius agnovit, qui Granvellano ipse scripsit hugonotos ex oppidis egredi et equites mille quingentos in eo esse ut Orangio opem ferrent [3].

Quemadmodum autem Maximilianus timebat ne Orangius, calviniani hugonotique Galliæ inter se conjungerent, ita Albanus Galliæ regem Orangii milites intercepturum esse sperabat et die 6 mensis Novembris scripsit ne unum quidem ex illis, Carolo adjuvante, se erepturum esse. Carolus autem parum adjuvit. Arturo Cossæo mandavit ut Orangium prohiberet et duci Albæ Malæ ut Albano auxiliaretur. Quorum unus dux Albæ Malæ diligentiam adhibuit et Octobri ineunte Galliæ hugonotos et Belgii exsules circa Cameracesium congregatos dissipavit [4]. Attamen et in Cameracesio illi exsules Bochanium oppugnare ausi sunt, sed frustra; extremo mense septembri, eos velle Castello potiri neminem fallebat, et die 3 mensis Octobris Granvellano Morillonius scripsit Maximiliano ibi esse octoginta milites et quadringentos colligi, quibus oppidum servare non facile futurum esset [5]. Orangius ipse, ut supra diximus, cum in Cameracesium venit, Castellum occupare voluit; sed oppidum deditionem facere ter frustra jussit et castellanus Wortius cum militibus paucissimis et civibus ita restitit ut quadringenti milites ante Orangii oculos in

1. *Papiers d'État et de l'Audience*, p. 55.
2. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 342.
3. *Ibid.*, p. 345.
4. *Ibid.*, p. 379.
5. *Ibid.*, p. 372.

oppidum ingressi sint [1]. Orangius igitur, die 17 mensis Novembris 1568, non obstante Caroli IX exercitu, in Galliam transiit. Frustra Albanus Cossæi et ducis Albæ Malæ milites viginti dies Castri exspectavit: Carolus IX tantum suo legato Forquevalio mandavit ut Philippo gratias ageret, quod Gallis Albanus adesse vellet [2].

Albanus Castellum citius accesserat quam speraverat Maximilianus, qui statim apud Ducem se excusavit quod eum honorifice accipere non potuisset: eum etiam oravit ut tantum bonam voluntatem respiceret sibique ignosceret quod, ob præsentium rerum necessitatem, se non adiisset; se autem ei cras salutem ipsum dicturum esse pollicitus est [3].

Mox autem Maximilianum valde pœnituit omnium istorum militum quos sæpius petierat, cum Cameracesium non minus depopularentur quam seditiosi aut Orangii exercitus. Jam die 10 mensis martii in libello de Belgicis rebus Maximilianus Albano ostenderat quas simultates militum injuriæ concierent et quanto ecclesiæ catholicæ detrimento futuræ essent. Illi enim, inquit, qui in Regis fide permanserunt et non modo a seditione abstinuerunt, sed et armis contra hæreticos, si quis eos hortatus esset, repugnavissent, cum jam nihil exceptum licentiæ Hispanorum videant, timere possunt ne eadem, quæ improbi, præter inquisitionem, ipsi patiantur, nec eorum studium residere non potest: quod intelligis quanto Regi et religioni detrimento sit [4]. Exercitu Albani Cameracesium ingresso, de ejus injuriis Maximilianus rursus ac vehementius questus est, cum jam quasi proprium esset malum, ac miserabiliter depinxit quibus cladibus incolas exteræ copiæ vexarent. Die 19 mensis Septembris 1568, in milites prædantes Albanus pœnas gravissimas constituerat; sed

1. *Corr. de Granvelle*, III, p. 403-404.

2. GACHARD, *La Bibliothèque Nationale à Paris*, II, p. 467 sq.

3. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 58.

4. *Ibid.*, p. 41.

intelligi potest quomodo edictum illud servatum sit ex litteris, quas octavo die quam Albanus Castellum Cameracense advenerat (die 24 mensis Nov.), ei Maximilianus scripsit :

— Maximæ calamitates vastationesque et summa omnium rerum ruina, quam perpeti video miseros populares meos, præter et has quas privatim feci jacturas, huc me compellunt ut tuam et mei et eorum miserationem humiliter implorem, neve consummari sinas extremam hanc miseriam : quæ quidem adeo nobis in propinquo est ut, si tu, præ solita benevolentia tua, quam celerrime non respexeris, ante plus quinquaginta annos miser hic Cameracensis ager tot damna, vexationes, ruinas, quæ a militibus tuis, octavum jam diem ad Castellum Cameracense sedentibus, in præsenti accipit, non sit resarturus : adde quod antea hostium transitum passus fuerat, non sine tanta omnis frumenti, pabulorum, lignorum, cibariorum jactura quantam facile animo fingere potes. Neque ulla quartum jam annum hic mercandi aut negotiandi copia fuit plerumque : unde magna ex parte insecuta est miseris popularibus meis fortunarum omnium eversio, additis quæ acceperant detrimenta tempore quo hugonoti oppidulum meum Castellum obtinebant. Quod si nunc militum tuorum castra diutius in hoc agro commorentur, haud aliud est ac si eum funditus pessumdes, cum in ipsa urbe Castello, ubi sedem habes, nemo non pro libidine sua vivat, omniaque rapiat et populetur, sive frumentum, sive avenam, immo vero cibariam et omni genere annonam miserorum civium : quorum ne uni quidem parcitur, quantamcumque prius pecuniam expendit. Dirui jam incipiunt domus, unde igni alendo materia detur, decisæ sunt arbores, quidquid frumenti et aliarum frugum est raptum atque ablatum. Utinam certe tu velis cives istius modi vexationibus exoneratos, jubeasque iis juste exsolvi quæ detrahantur, atque reservari frumentum : sin minus, iisdem gratiosam aliquam facias largitionem [1].

1. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 60.

Illam autem tutelam, ut prius ab hæreticis, ita nunc ab ipsis Albani ducis militibus, efflagitare nonne Maximiliano juste licebat? quippe qui abhinc plures annos Belgii defensorem in agro Cameracensi agere non desiisset, sive Albanum de Gallorum itineribus certiorem faciendo, sive cum hæreticis ipse confligendo [1].

Dum militum deprædationes arguit, Duci simul commemorabat ipse quanto Hispanorum regis causæ adjumento fuisset : — Ne tibi nimiis admonitionibus aures obtundam, aiebat, hoc unum te iterum rogare velim, considerare libeat quot et quantis in laboribus, impensis, periculis, abhinc annos tantummodo tres versati fuerimus et ego et miseri mei populares, ut parvum hunc agrum obtineremus, Cameracumque et Castellum Cameracense ab hostium insidiis aggressionibusque tueremur; qualem quoque operam Hispanorum regi navare non desierimus, cum in anteactis omnibus bellis, tum etiam in hoc gravissimo tumultu in Cameracum urbem et nuperrime, ante hos octo dies, in Castellum Cameracense ingruente : cujus quidem cives, donec advenerunt auxilia a te missa, hostium impetum fortissime repulerunt; accedit quod miserrimus idem ager, plus quam ceteri omnes exagitatus est furiis et procellis, præterito tumultu et præsentibus bellis, cum a Gallis, tum a citerioribus hostibus [2].

Quali modo ageret Maximilianus cum Gallis et, propter Gallos, cum Hispanorum rege, consideranti satis liquet illum cum aula Bruxellensi episcopi non unius e multis partes obtinuisse : immo contra fuisse quasi vere principem, qui sua defenderet, sociosque primo naturali quodam fœdere devinctos, dein patronos, ne dicam dominos, exstructa Cameracensi arce, factos, de communi commonefaceret periculo. Eumdem cum anno 1569 Albano duci assidentem iterum reperiemus, etsi non ipse verba faciet.

1. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 62.

2. *Ibid.*, p. 60.

ut faciet Richardotus, majore tamen quam Atrebatensis episcopus apud Belgii Præfectum auctoritate valebit, quippe qui hactenus rerum publicarum auctorem fere egerit, ceteri autem minime ex sacerdotio suo excesserint. Quas quidem auctoris civilis partes cum ipso Albano ita habuit Maximilianus, ut semper a Gallia cavendum esse prædicaret, quam usque respiciebat quasi receptaculum unde Belgii hostes erumpere solerent. Illic non bellum sacrum magis quam concordiam inter factiones reformidabat. Mense Martio anni 1568, unice perterretur auditis colloquiis quæ ad pacem Longemellinam evaserunt; qua de re ad Albanum memorialem quemdam de rebus publicis libellum mittit, non sine nimiæ libertatis suæ defensione: — Cum ita publicum sit malum et periculum, inquiebat, ut ejus, si ad effectum eruperit, particeps nemo non fieri debeat, quid mirum quod unusquisque pariter et verba et tali periculo remedia interponat? Cum præterea mei sint ordinis, si non eæ de quibus tractare in animo est rebus, at certe, procul dubio, principes ista pericula experturi, hoc ipsum spero mihi satis excusationi fore ultra provinciam meam committenti ut sententiam profitear.

De quo autem tanto periculo agebatur? Jusserat Philippus secundus Albanum Catharinam Mediceam etiam atque etiam deterrere ne pactiones cum hæreticis faceret [1]. Adde quod Franciscus Alava Gallorum regem ut a rebellibus pœnas sumeret hortabatur. Pro quo contra audit Maximilianus, capta jam ab hæreticis Santonum Rupella oppugnatoque Carnuto, in eo esse Gallos ut inter se consentiant. Quæ quidem concordia nonne Belgio futura est detrimento? — Licet profiterentur, ait, Galli se dimicare nolle, tantam nihilominus retrorum multitudinem arcessiverunt, ut nihil inde augurer quod bonam redoleat voluntatem, illos contra, nisi invitos et rerum inopia coactos, nobis quieta non movisse. — Illi autem retri Electoris Palatini

1. *Corr. de Philippe II*, t. 7.

Casimiri, calvinianorum studiosissimi, erant; qui, equitum decem peditumque trium millium numero, Gallis hæreticis venerant opitulatum. A catholicis vero, retrorum plus minus quatuor millia adduxerat Saxonum dux, Johannes Gulielmus, cum ea fuisset in Catharina Medicea calliditas, ut cum lutheranos principes, hæreticorum rebellioni non sacram, at civilem admodum subesse causam ratos, in medio retinuisset, tum etiam unum e Saxonum ducibus Caroli noni stipendiarium militem fecisset.

De istis autem retris omnibus, pace facta, quid fiet? — Cum de hoc apud Gallos hodie quæratur ut alienigenas milites, qui maximo in numero esse dicuntur, a se dimittant, grande periculum est ne eos facile exterminare non possint sine ingenti Catholici regis civibus illato detrimento. — Num agatur omnino de justa quadam dimissione quæ alienigenas istos per vicinas dispergat regiones? Minime quidem. Novit enim Maximilianus quanto Gallorum reges Austriacam Domum (quacum nonum vix annum pax convenit) odio prosequantur; novit item Catharinam Mediceam cum Calvinianis (sicut et antea fecit ut Gratiæ Portum Anglis detraheret) fœdus iterum facere posse ut ex magnis Philippi secundi difficultatibus eripiendi Belgii capiat occasionem.—Christianissimo regi, ait, tam maligne suaderi possit, ut, haud meliorem unquam sibi fore occasionem ratus, cum istis calvinianis societatem ineat et ex improviso nos opprimat. Adde quod magnam pecuniæ vim in Palatini Comitis manus incidisse dicitur; quod magnopere conferre possit istius modi occasionem ac voluntatem. Qua quidem pecunia haudquaquam dubito quin Palatinus ille Condæum ad assem adjuvet.— Calvinianis autem, ut ad istud consilium Gallorum regem adducant, adjumento erit cum ea ætas ac condicio, qua nunc ille est, tum tot et tantæ difficultates quibus catholicum quoque regem implicatum esse liquet : unde, perpensis omnibus rebus, necessario mihi concludendum sit, nisi miraculo quodam intervenerit dextra divina, non posse non religionem

omnino conculcari et totam regionem nostram opprimi. Illud autem remedio fore confidit Maximilianus, (qui, cum morbum denuntiaverit, et medelam afferre se contendit), si eadem adhibita sit ratio quam ipsa prius in Germania adhibuerit Catharina : id est si in Philippi stipendia diversi fuerint istorum pars retrorum. — Neque promptius aliud, meo quidem judicio, ait, remedium sit, quam si quodam modo per Arembergium, qui nunc est in Gallia, aut per alios, sollicitetur Gulielmus Saxonum dux cum iis, qui circa sunt, et si qui alii pariter sub catholici regis signa allici possint, idque totum in hoc tempus quo alii inter se consentiant. Quæ si ita fuerint facta, magnam inde concipiam spem catholicum Regem res suas ita in promptu habere posse, ut ab istis posthac non ita magnum capturus sit detrimentum [1].

1. *Papiers d'Etat et de l'Audience*, 238, p. 40 et 41.

2. Calvinianis opprimendis

Quamvis Maximilianus intenta cura cavisset ne pestis hæretica in Cameracesium se insinuaret, annis 1566 et 1567 et Cameracum et Castellum Cameracense calviniani aut occupare tentaverunt aut occuparunt, et non modo in Cameracesio, sed extra comitatum in ecclesiæ Cameracensis diœcesi, Valentianis, Maximiliano in hæreticos agendum fuit.

A. *Cameraci.*

Notandum est res hæreticas, quæ ad Cameracum et Cameracesium pertinent, et a catholicis Belgii scriptoribus sexti decimi sæculi, quod Cameracesium terra Germanica erat, et ab hæreticis ipsis Germaniæ scriptoribus, quod Cameracesium Gallica lingua utebatur, omissas esse [1].

Anno 1566, cum Belgium totum esset perturbatum, Cameraci etiam male res se habebat atque hæretici caput attollebant sicut alibi [2]. Cum Maximilianus ex comitiis Augustanis rediisset, ubi Cameracenses legatos religionem Augustanam petentes vidimus [3], multis negotiis impeditus est [4]. Attamen martio mense anni 1566, jusserat, propter temporum iniquitatem et sectarum varietatem, ut in antiqua et catholica religione civitas Cameracensis retineretur, præpositum et scabinos jusjurandum

1. Ch. L. Froissard, *La Réforme dans le Cambrésis au* XVI[e] *siècle*, p. 3.
2. *Corr. de Granvelle*, I, p. 357 et 324.
3. *Ibid.*, I, p. 299.
4. *Ibid.*, I, p. 324.

concipere, quo omnes incolæ profiterentur se et Deo et Reverendissimo archiepiscopo eidemque duci Cameracensi et præposito et scabinis fidem retenturos, et antiquam religionem catholicam Romanamque servaturos, nec propter religionem aut aliam ob causam adversus Reverendissimum arma capturos, eidem contra adversus seditiosum quemque et pacis publicæ perturbatorem operam daturos ut antiquam religionem tueretur, nec ulli aut publico aut occulto conventui adfuturos, ubi res contra antiquam religionem, archiepiscopum aut ipsam civitatem agerentur, aut si quid nefarii cogitari audirent, statim archiepiscopo, præposito scabinisque detecturos, sin aliter pœnas daturos quibus seditiosorum fautores plecterentur [1]. Præsidium quoque quadringentorum militum, qui scabinos protegerent, magno sumptu suo Cameraci constituit; Valencenates enim nullum sibi otium sumpturos arbitrabatur quin cum clericis Cameracensibus ecclesiisque tanquam cum Valencenis egissent [2].

Nec sine causa Maximilianus turbas illas timebat; hæreticorum enim excitabat animos exemplum seditionis, quæ jam Castelli Cameracensis coorta erat et archiepiscopi imperium subverterat. Die 13 mensis martii 1567, Franciscus Clericus, civis Cameracensis et dives, mane circa decimam horam magistratui, qui ea hebdomade sedebat, libellum porrexit: in foro magnus erat calvinianorum concursus, qui se quasi suo numero Franciscum fulturos sperabant. In altera manu pugionem strictum, in altera Franciscus habebat libellum, quo civitatis magistratum summa cum reverentia et humilitate admonebat jamdiu Imperatorem jussisse confessionem Augustanam publicari, et submisse exposcebat ut illa publicata turbæ et populi tumultus vitarentur; Cameracensem enim populum placidissimum esse nec novarum rerum cupidum, immo

1. Archives de Cambrai, BB, 1 — *Reg. aux Remontrances, appointemens et ordonnances*, etc., p. 55.

2. *Corr. de Granvelle*, II, p. 2 (die 4 mensis Octobr. 1566).

magistratui obsequi velle, ea tamen condicione ut primum laus et gloria Dei servaretur; itaque amplius mille cives supplicem illum libellum porrexisse tantum ut pax omnibus integra foret [1]. Fortasse Franciscus se ipsi Maximiliano libellum porrecturum speraverat, si ille ad ecclesiam iret; archiepiscopo autem contigit ut in publicum non prodiret [2].

Præpositus Cameracensis, Henricus de Forvie, non animo defecit nec obstupuit [3]. Libellum accipere noluit archiepiscopo tradendum, si non audiret quid per illum peterent. Cum autem Franciscus ei minari videretur, præpositus illi manum injecit et minus tribus horis Franciscus judicata causa supplicium solvit, quod nomine eorum qui se Dei ministros dicunt, libellum supplicem porrexisset, ut nova sibi religio antiquæ religioni catholicæ et romanæ, in hac semper civitate habitæ, contraria concederetur atque ita pacem publicam turbavisset [4].

Maximilianus igitur præposito et scabinis ad catholicam religionem Cameraci servandam confidere potuit. Quanquam autem ob eam causam religio catholica periclitari non videbatur, nulli veniam dedit. Francisci supplicio calvinianorum audaciam fregit, qui, cum in foro audiissent quomodo libellus acceptus esset, statim in fugam sese omnes dederunt, « jouant, ut est Gallice in proverbio, au maudit soit le dernier [5]. » Nonnulli exsilio multati sunt et ubi Francisco caput abscisum erat, theatrum permansit sex dies, quo significabatur nondum esse in omnes vindicatum; erecta quoque scala est ad patibulum tres menses in eo loco ubi spargebant hæretici in vulgus sibi viros esse sexcentos, qui suam petitionem vel ex gratia vel per vim obtinerent [6].

1. Arch. de Cambrai, Ms 1168. *Reg. aux causes criminelles.*

2. *Corr. de Granvelle*, II, p. 305.

3. *Ibidem.*

4. Arch. de Cambrai, Ms. 1168.

5. Pontus Payen, *Mémoires*, I, p. 185-186 et II, p. 100 et 101.

6. François de Bar, *Op. cit.*, p. 143.

Cum anno 1662 unus e Maximiliani successoribus a Philippo IV rege petiit ut ecclesiæ Cameracensi civilis jurisdictio restitueretur, commemoravit, obrepentibus anno 1566 in omnes Belgii partes hæreticis, ita ob suam jurisdictionem Maximilianum restitisse, ut fere unus hæreticos et seditiosos vicisset[1].

B. *Castelli Cameracensis.*

Mirum videatur Cameracum omnino ab hæreticis tutum fuisse, cum illi Castelli Cameracensis rerum potiti essent et in Galliæ finibus præpollerent. His præsertim Cameracesii partibus perniciosa erat Galliæ vicinitas, quæ vel Terrasceam Sylvam et Veromanduensem agrum, ubi ab extremis regnantis Francisci I annis calviniani erant, vel nonnullos reginæ Navarrææ pagos[2], qui, ut scripsit Maximilianus[3], circumjacentes depravabant populos, contingebant. Castellum Cameracense præsertim a Gallia hæreticorum doctrinam accepit: multi hujus urbis incolæ, compluribus ab annis, unum in locum convenire soliti erant, ut colloquia occulta de Sacra Scriptura haberent, qui se aperire non audebant, ne vexarentur[4]. Deinde in Galliam transierunt, ubi hæreticos prædicatores audirent.

Qua re audita, Maximilianus ab omnibus Cameracesii presbyteris pronuntiari jubet, ne quis audeat ad illos sermones ire aut libros suspectos, cantus psalmosque a Clemente Maroto et Theodoro Beza in Gallicam linguam translatos habere ; ne caupones aut stabularii advenas sus-

1. Bibl. Nat. Ms. Collection Moreau, Reg. 505, p. 42-46.

2. Serain, Elincourt, Premont.

3. *Corr. de Granvelle*, II, p. 3.

4. *Relation des troubles du Cateau, écrite par les religionnaires Leonard Solau et Claude Raverdy, vérifiée par Jacques Desquesnes* (FROISSARD, *La Réforme dans le Cambrésis*), p. 4.

pectos hospitio accipiant, neu die dominica aut festa, missæ hora, cœtum quemquam admittant; ne quis eadem missæ hora in foro aut in alia urbis parte aut in suburbio ambulet [1].

Biennio post, id est 1566, hoc edictum iterum promulgatum est et id defectionis Castelli initium fuit, quæ non ad religionem tantum, sed et ad Maximiliani civilem auctoritatem pertinet. Ea quidem seditionis progressio fuit : primum calviniani religionem suam occulte coluerant; prohibente autem Maximiliano, Castelli aperte colunt; deinde rebellant et non tantum catholicam religionem, sed et Maximiliani imperium rejiciunt; tum archiepiscopo de pace et deditione cum seditiosis agendum est. Sed plures menses calviniani rerum potiti sunt et, quamdiu per edicta tantum seditiosis restitit et aliena ope destitutus est, Maximilianus seditionem opprimere non potuit; tandem, militibus a Margarita missis, Castellum in deditionem venit et per supplicia in hæreticos vindicatum est.

Multa quidem seditionis fuerunt quasi prænuntia. Baillivus Cameracesii, qui Castello calvinianum quemdam, in carcere inclusum, abducere voluerat, ejusque apparitores conviciis et plagis vexati sunt nec officio suo fungi potuerunt; legati quos, purgandi se causa, Cameracum Castelli cives miserunt, in custodia Cameraci habiti sunt, donec Maximilianus, Augusta redux, eos Castellum remisit. Ad rebellionem igitur res spectare jam videbatur : die 8 mensis julii, calviniani, quibus advenæ se immiscuerant, ad decani S. Martini ædes concurrerunt, quem male mulcarent; die 23 mensis julii, plebs tandem consilia sua denudavit et ut ad calvinianorum prædicationem ire sibi liceret a magistratu petiit; qui, a plebe coactus, tertiam oppidi clavium partem, id est prope ipsum oppidum, seditiosis tradidit [2].

1. *Relation des troubles du Cateau, etc.*, p. 5.

2. *Discours de la rébellion de ceulx du Chastel en Cambrésis* (*Archives du Nord de la France*, 3e série, t. II, p. 238-243).

Frustra igitur per edicta tantum Maximilianus Castellum in officio continere voluit. Cum prohibere voluisset ne calviniani Castellum incolentes Valentianas irent aut in alios locos hæreticas prædicationes auditum, in suburbio prædicationes habitæ sunt, et die 28 mensis julii Gallus quidam, Philippus nomine, ecclesiæ Tupigniaci pastor, cum multis Gallis hæreticis, prohibita vel in Gallia arma ferentibus, nemine obstante, Castellum venit; qui quidem in oppidum introiissent, nisi Philippus prohibuisset et, post prædicationem, Tupigniacum reversus esset [1].

Maximiliano autem non eæ erant opes, quibus vi seditionem incipientem comprimeret. Itaque castellanum Cameracesii, Claudium de la Hamaïde, omni ratione ac præsertim cohortatione prohibere jubet ne prædicationes habeantur [2]; sed frustra; nam calviniani tunc proxime urbem conveniebant et prædicator cum multis Gallis collectis armatisque militarem in modum sæpe redibat [3]. Ne multa, in civitate seditiosi dominati sunt; successor enim Claudii, Petrus Momorantius, cum paucissimis hastatis, quos ut servaret cives Castelli permiserant, in urbe manere non potuit; quo profecto, nullas se custodias in oppidum a Reverendissimo archiepiscopo recepturos declaraverunt, ne per eas opprimerentur [4].

Cum res ita se haberet, capitulum et civitas Cameracensis Castellum legatos ad conciliationem gratiæ miserunt: qui placide ac multis argumentis demonstraverunt quam graviter seditiosi peccarent et in quanto periculo futuri essent, si se Maximiliano non subjicerent. Cum diu in colloquio fuissent, seditiosi polliciti sunt se quindecim dies prædicationes non habituros, et interea quid respondendum esset visuros [5].

1. *Relation des troubles*, p. 8. — *Discours de la rébellion*, p. 243.
2. *Discours de la rébellion*, p. 244.
3. *Ibid.*, p. 245.
4. *Ibid.*, p. 245.
5. *Ibid.*, p. 246 et *Relation des troubles*, p. 8.

Calviniani autem Deo potius quam hominibus semper obsecuturos se dicebant [1] et cum ecclesias Valentianis, Antverpiæ, Gandavi, Tornaci et S. Amandi, nemine impediente, vastatas audiissent, die 26 mensis augusti, in urbem Philippum admiserunt ; is cum multis Gallis S. Martini ecclesiam petiit, quæ tota vastata est, dein in ipsa ecclesia, quo magnus factus erat civium ac suburbanorum, qui ad forum frumentarium venerant, concursus, prædicavit et tres hugonotorum ritu baptizavit [2].

Quomodo Maximilianus Castellum in suam potestatem et catholicam ecclesiam redegit? Die 28 mensis augusti, cum adhuc quid die 26 actum esset ignoraret, magistratum per litteras jussit has condiciones calvinianis proponere ut illi et principem summumque dominum archiepiscopum agnoscerent et se sub dicione Sancti Imperii Romani esse, cujus leges eæ sunt ut catholicis suam religionem colere liceat, et Maximilianum cum iis custodiis, quæ ei necessariæ viderentur, exciperent. Postero die, responderunt calviniani se Maximiliano obedire et pro eo vitam profundere salva conscientia paratos esse ; nec ignorare se sub Imperii dicione esse, sed legum quas commemoravisset exemplar sibi perlegendum, antequam eas acciperent ; gavisuros esse se si Maximilianus se inviseret, sed tantum, ut solet, comitatus, et iis custodiis contentus quas ipsi die ac nocte ministrarent [3].

Maximilianus castellano et Castelli scabinis die 31 mensis augusti respondit sibi eorum litteras non probari. Sed nunc sicut dominus loquitur, nunc cum seditiosis disputat eosque refutat, quia vi tum comprimere Castellum non potest. Itaque missam et sanctam catholicam religionem jubet statim restitui propter ægros, baptizandos, omnesque viros bonos mærore afflictos, et addit se iis qui ita

1. *Relation des troubles*, p. 13.
2. *Ibid.*, p. 13 et 14. *Discours de la rébellion*, p. 246-247.
3. *Relation des troubles*, p. 14-15.

principis auctoritatem occupavissent fidem habere non posse; iis tamen Imperii edicta exhibiturum, licet tanta gratia non digni sint [1]. Calviniani autem responderunt religionem augustanam publicandam esse, ut omnes se ad eam regant et Castelli pax ita servetur, nedum Maximiliano se subjiciant. Iterum igitur renuntiavit archiepiscopus se de Imperii legibus nunquam permissurum quidquam immutari; ita autem tunc etiam clementia usus est, ut polliceretur se veniam daturum esse, si quis peteret (die 8 mens. Sept. 1566) [2].

Seditiosi de suis rebus plurimos consuluere, sicut ecclesiam Antverpiensem et Valencenam, comitemque Hornanum, qui benigne respondit in terris Imperii psalmos cani et prædicationes haberi [3]; quinetiam Maximiliano ipsi pro iis scripsit ne archiepiscopus eos nimis aspere tractaret neve in desperationem cogeret, ut vere catholicum deceret et utilitatis publicæ diligentissimum, nec dubitabat quin remedium Maximilianus adhiberet, quod et Deus et respublica requirerent (die 11 mens. Septembr.) [4].

Illud consilium Maximilianus neglexit. Sed, crudescente seditione, questus est quod Margarita nullum sibi auxilium ferret. Granvellano enim scripsit (die 4 mens. Octobr.), se nullum jam ex Castello fructum capere posse, qui maximus esset episcopo Cameracensi, cum oppidum calviniani obtinerent; itaque sibi omnium rerum fere inopiam esse [5]; attamen se quadringentos milites magno suo sumptu secum habere, et oppidulum tam invalidum esse ut facillime tribus aut quatuor tormentis expugnari posset; verum ad eam diem Margaritam censuisse nihil vi invadendum, sed Philippi regis exemplo vela in tempus stringenda; hoc autem se iniquo animo ferre, quod haud

1. *Relation des troubles*, p. 15 et 16.
2. *Ibid.*, p. 17-19.
3. *Ibid.*, p. 19-22.
4. *Ibid.*, p. 23-24.
5. *Corr. de Granvelle*, II, p. 3.

sine magna verecundia tantam sibi injuriam a ducentis aut trecentis illatam pateretur, qui subjecta circa loca inficerent [1].

Interea Maximiliani edicta seditiosi adeo non curabant, ut contra iis rebellandi causas invenirent. Etenim novo edicto secundum Sancti Imperii Romani leges jussit omnes prædicatores et calvinianæ sectæ ministros atque seditionis auctores a civitate et Cameracesio intra quindecim dies post edicti promulgationem recedere, pœnis quæ legibus Imperii sanctæ erant propositis (die 11 mensis Octobr. 1566).

Cum hoc in calvinianos edictum ad pergulam civilem recitari cœptum est, nonnulli ad extremum perlegi non passi sunt, sed per totam civitatem terrorem intulerunt; rursus plebs ecclesias vastavit et ex civitate monachos presbyterosque expulit. Castellanus autem, scabini scribaque Maximiliani, qui edictum attulerat, se abdiderunt et iis declarandum fuit edictum quod ad pergulam civilem non ad extremum recitatum esset, non promulgatum et sine effectu habendum esse [2]. Itaque Calviniani victores ipsi induciarum condiciones proponunt castellano et scabinis qui eas accipiunt : utrinque pactum est ut catholici et calviniani suam libere religionem colerent, ne nebulones ex dissensione perturbandæ civitatis occasionem caperent [3].

Sed ex eo die castellanus et scabini in civitate pro nihilo fuerunt et usque ad martium mensem 1567 Castellum extra jus dominiumque archiepiscopi fuit et ab Calvinianis tantum administratum. Philippo, Tupigniaci pastore, in S. Martini ecclesia collocato, consistorium etiam instituerunt et calviniana disciplina usi sunt. Ita ad consistorium calvinianus quidam vocatus est, qui socrum suam verberaverat, et Jacobus Dequesnes, qui tumultus Castelli Camera-

1. *Corr. de Granvelle*, II, p. 2.
2. *Relation des troubles*, p. 24-28.
3. *Ibid.*, p. 29-32.

censis narrationem scripsit, calviniana cena privatus est, quod consistorii arcana protulisset. In castellani et scabinorum locum sexdecim virorum concilium successit, qui judicium exercerent. Cum de magnis negotiis agebatur, consistorium et sexdecim viri communem deliberationem habebant, unde apparet Castellum jam tum liberam civitatem calvinianam fuisse. A die 26 mensis augusti 1566 usque ad diem 24 martii 1567, calviniani novem matrimonia celebraverunt et septem et viginti infantes baptizaverunt [1].

Sed non omnes Castelli calvinianorum causam complexi sunt et vel inter eos, qui eorum prædicationibus aderant, multi non sinceræ fidei erant. Itaque calviniani verebantur ne sua victoria non stabilis esset. Ut ab archiepiscopi militibus se defenderent, sexdecim viri novis operibus oppidi aditus clauserunt et, ne a catholicis proderentur, inusitatas vigilias agi jusserunt. Sed hæc omnia nihil profecerunt, cum Margarita eos ad deditionem vi compellere statuit.

Etenim lunæ die 24 mensis martii, auditum est repente comitem Mansfeldium cum ducentis equitibus accedere; frustra calviniani multi fugere tentarunt; in urbem repulsi, portis clausis, mœnia defendere parant; sed cum fecialis oppidanos deditionem facere jussit, statim, obstante frustra Philippo, evaserunt et domi aut in S. Martini ecclesia se abdiderunt.

Postero die, quæstiones usque ad mensem sequentem haberi cœptæ sunt ac severa fuerunt judicia, nam et in hæreticos et in civitatem, quæ amplius sex menses rebellaverat, animadversum est. Nonnullis Maximilianus ignovit, pluribus veniam denegavit. Capite triginta damnati sunt, quorum duodeviginti pœnas expenderunt, et amplius quin-

1. Frossard, *La Réforme dans le Cambrésis au* xvi[e] *siècle*, p. 31-35 et 43-46. — Finot, *Inventaire sommaire des Archives municipales du Cateau*, Introd., XXVI. — Desplanque, *Bulletin scientifique et historique du Nord*, 1871.

genti exsilio, additis sæpius verberibus et bonorum proscriptione. Quibus autem supplicium remissum est, ii fustibus in compitis male mulcati sunt ac postea in exsilium acti.

Pluribus fortuito quam consulto Maximilianus ignovit; die 22 mensis aprilis, cum Castellum iniret, septem hæretici ad suspendium ducebantur, qui, cum archiepiscopum vidissent, deprecati sunt: iis vita data est [1]. Sed eorum qui supplicium solverunt, quam multi digni erant quibus pœna remitteretur [2]! Maximilianus Cornilio Delemer jure pepercit, qui se tantum ad prædicationem ivisse dixit veniamque petiit. Nonne autem venia digni erant et Johannes Lasne, septem et viginti annos natus, qui se ad pristinam religionem redire velle declarabat, et ideo non pertinax hæreticus erat? et Martinus Prouvin, tres et viginti annos natus, qui cenæ adfuisse se non negavit, sed et Sancti Andreæ monachos defendisse, cum eorum monasterium vastaretur? Et Johannes a Sancto Auberto, qui suspendio ob id tantum interemptus est, quod novam religionem coluisset et cenæ adfuisset? et Stephanus Moreau, qui etiam confitetur se suam tantum salutem quæsiisse, cum decretis contra prædicationes factis non pareret, nullius autem seditionis participem fuisse nec ad cenam calvinianam accessisse? et Antonius Dequesne, qui ad prædicationes Laudunum se iisse non negat, sed misericordiam orat? et Johannes Canonne, ob id tantum in crimen vocatus, quod ritu calviniano uxorem duxisset et Philippi, Tupigniaci pastoris, prædicationibus interfuisset, qui autem contra archiepiscopum arma non gessit et veniam poposcit? Nonne denique nimia pœna multati sunt, qui et verberati et in exsilium acti sunt, ut Martinus Le Vert et Alexander de Beaurevoir, quanquam cenæ tantum, nullius autem motus participes fuerant?

1. François de Bar, *Op. cit.*, p. 143.

2. *Archives du départ. du Nord*, série G. — Finot, *Op. cit.*, p. XXIV-XXV — Frossard, *Op. cit.* p 37-42.

Maximilianum reprehendere non aggredior, quod Philippo alterique prædicatori non ignovit, qui, manibus amputatis, infelici arbori suspensi sunt, et Antonio Steppens, cujus constantia coram judicibus, quam nunc miramur, non eo tempore archiepiscopum ad ignoscendi voluntatem deducere potuit. Dixit enim Antonius Steppens imperium Maximiliani ideo se detrectavisse, quod Deo potius quam hominibus parere conveniret et leges secutum esse a Calvinianis datas, quod presbyterorum catholicorum legibus essent meliores et præclara conscientia semper sustentari vellet. Neque illis veniam dare Maximilianus potuit qui armati deprehensi erant, non modo quod archiepiscopi decretis non paruerant, qui illos prædicationibus aut conventibus Calvinianorum adesse vetuerat, sed etiam quod vi in Maximilianum rebellaverant. Archiepiscopus igitur non pluribus ignovit, quod fere Castellum amiserat et hæreticos a rebellione in posterum deterrere voluit.

In summa, Maximilianus hæreticam pestem Castelli abolevit, ac, ne quando in urbem ea rursus irreperet, civem quemque jurare jussit se ecclesiæ catholicæ, apostolicæ ac romanæ dogmatibus decretisque crediturum, in fide archiepiscopi Cameracensis, principis Sancti Imperii, comitis Cameracesii permansurum castellanoque archiepiscopi locum tenenti et magistratibus civitatis obedientem dicto futurum [1].

Circa Castellum postea inter hæreticos et catholicos pugnæ fuerunt. Tunc autem nova oppidi seditio non fuit, sed aliquot dies Cameracesium inter Orangium et Albanum belli quasi sedes fuit. Etenim non hic inter se concurrere utriusque partis exercitus non poterant, namque Cameracesium occupare intererat et Orangii, unde cum Gallis hugonotis, qui plures annos comitatus fines infestaverunt, se jungere posset, et Albani ducis, ut Orangio

1. Frossard, *Op. cit.*

Galliæ viam intercluderet. Anno 1568, Castellum expugnare Orangius tentavit; castellano Wortio ne centum quidem milites præsto erant, quibus oppidum tueretur; itaque cives et ipsas mulieres armis instructos in mœnibus disposuit Orangio conspiciendos, ut numero decepti calviniani eos aggredi non auderent; et cum in ipso oppido nulla hæreticorum fuisset proditio, trecentis militibus, imperante Roberto de Harchies, domino de Molain, tempus fuit ad auxilium Castello ferendum; qui in oppidum ingressi sunt, inspectante Orangio, qui frustra in ejus agmen ferreos globos jaculatus est [1].

Ex quo apparet hæreticos Castelli ita a Maximiliano oppressos esse, ut Orangii adventu ad rursus rebellandum non usi sint, et ab exteris tantum hæreticis Cameracesii fines jam vastati; ita etiam Castello hæreticos Maximilianus extraxit, ut calviniani qui nunc in hac urbe sunt, a gentibus, quæ non Cameracesium XVI sæculo colebant, originem trahant.

C. *Valentianis.*

Castelli quidem res hæreticæ ad Maximilianum et comitem et episcopum attinebant. Valentianis autem, quippe quæ in diœcesi, non in Cameracesio essent, tantum ad episcopum. Valencena autem civitas, etsi Philippo Regi subjecta erat, quasi libera non uno jure utebatur, unde episcopo alia difficultatis causa fuit.

Itaque Valentianis Maximilianus primo episcopi jura defendit contra magistratum, qui suum esse civium judicium contendebat, unde sæpius de judicio quam de fide catholica servanda certatur; dein, ex Margaritæ præceptis Valencenos presbyteros corrigit et restituit et, ut hære-

1. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 141. — *Commentaires de Bernardino de Mendoça*, trad. par Loumier, p. 222-224. — Archives du départ. du Nord, BB, Reg. 2602.

ticos cohibeat, scholas et eleemosynas condere cogitat; denique hæreticos aut ipse aut per legatos suos ad catholicam fidem cohortatur. Cum autem Valentianis calviniani plus pollerent quam ut a Maximiliano aut ejus ministris opprimerentur, vi tantum subjecti sunt.

Cum Maximilianus episcopus Cameracensis delectus est, jamdiu Valentianis hæretici erant. Hic fidem catholicam mercatura perdidit; ex illa enim civitate mercatores Germanicas urbes, unde lutheranos libros referebant, aut Germani mercatores Valentianas, libros eosdem afferentes, celebrabant. Ab anno 1545 calviniani pollebant et hæreticæ sectæ increverunt, quod huic rei præsertim magistratus studebat ut civitatis jura et privilegia tueretur. Itaque Philippi Regis ministri primum hæreticos expedite persequi non potuerunt, licet institutum esset ut magistratus de omni re criminali aut civili cognosceret, præter delicta quæ ad religionem spectant: cum enim de rebus hæreticis agitur, legatos Rex mittit, qui una cum civitatis magistratu judicent; iidem autem majorem habent auctoritatem [1].

Cum Rex et Margarita sperarent Maximilianum magno adjumento futurum esse ad catholicam fidem Valentianis restituendam, vehementer eum hortabantur ut eo sæpius iret et cum marchione Bergensi, Valentianarum præfecto, colloqueretur. Granvellanus Regi die 4 mensis decembris 1560 scribit episcopum et marchionem jam in animo habere ut proxima Nativitate Valentianas eant eorumque consilio lætatur [2]. Sed anno sequenti nondum iter susceperant et apud Regem Margarita iracunde tunc queritur nondum eos esse profectos, ob propria quædam negotia, licet iis jam dixisset nihil rebus Valencenis anteponendum; cum autem institisset, eos brevi illuc ituros sperabat (die 5 mensis maii 1561) [3].

1. Cellier, *Recherches sur les institutions politiques de Valenciennes.* — Paillard, *Histoire des troubles religieux de Valenciennes*, I, p. 14.

2. *Papiers d'Etat de Granvelle*, VI, p. 211.

3. *Corresp. de Marguerite d'Autriche*, I, p. 478.

Hoc maio mense tandem Valentianas Maximilianus iniit. Statim autem magna inter illum et magistratum exstitit controversia. Jussit enim Maximilianus, cum ad episcopum pertineret de hæreticis cognoscere, sibi tradi civem quem hæreticum haberet. Præpositus autem Valencenus respondit civem tantum post magistratus inquisitionem secundum civitatis privilegia prehendi posse et rem ad senatum rettulit, qui Maximiliano hæretici prehendendi potestatem fecit, sed sine privilegiorum civitatis præjudicio : et Maximilianus, cum huic sententiæ assensus esset, Henricum Descouchy, mercis institorem, designavit, qui episcopo, nocte sequenti, a magistratu traditus est.

Re igitur causam vincebat Maximilianus; jus autem in dubio hærebat et contentio biennium tenuit [1] : temporario tantum Philippi Regis decreto transacta est; et quanquam ad catholicam fidem spectabat, nunquam aut archiepiscopus aut magistratus aut Philippi ministri in illa controversia ecclesiæ catholicæ utilitatem prætenderunt.

Maximilianus autem, cui Descouchy traditus erat, de alio quodam jure quæstionem movit. Descouchy enim, in Cameracensi carcere antea inclusus, cum, hæretico errore deposito, in perpetua vincula damnatus esset, e custodia evaserat. Contendit igitur archiepiscopus se eum in Cameracensem carcerem redigere posse, cum de ecclesiastico crimine ageretur; attamen non recusavit quin in magistratus judicium adduceretur, sine suæ jurisdictionis præjudicio [2]. Senatus autem Valencenus declaravit Maximilianum contra civitatis privilegia jus suum ferre, cum ad Valencenum magistratum tantum cum Regis inquisitoribus de criminibus hæreticis cognoscere eaque judicare pertineret (die 3 et 4 mensis junii) [3]. Quo audito [4], Maxi-

1. Paillard, *Op. cit.*, I, p. 347-352.

2. *Ibid.*, p. 353-355.

3. *Ibid.*, p. 356-359.

4. *Ibid.*, p. 360.

milianus Margaritæ scripsit senatum Valencenum non modo contra jus et regis decreta agere, sed etiam non sine hæreseos suspicione [1]. Reipsa et episcopus et senatus Henricum Descouchy parum curare videntur : nam paucis post diebus magistratus et senatus eum Maximiliano tradere decernunt, cum antea ab episcopo prehensus sit et ex ejus carcere evaserit, eidemque in Valenceno carcere quærendi potestatem faciunt (die 14 et 15 junii mensis 1561). Sed juris sui senatus non minus tenax Maximiliano legatos mittere statuit, qui ab eo ne plus requirat quam omnes antea episcopi, petant. Tunc autem Maximilianus a Philippo Rege postulat ut in omnes et laicos et ecclesiasticos suæ provinciæ hæreticos aut hæreseos suspectos inquirendi sibi potestas servetur, et omnes magistratus laici, qui huic inquisitioni obsistant, licet tantum ecclesiasticum sit crimen, ecclesiæ communione priventur [2].

Marchio Bergensis ad controversiam ex utriusque partis commodo componendam se interposuit (mense septembri 1562). Philippus per decretum utrique jurisdictionis partem dedit : episcopo enim clericorum hæreticorum causarumque, quæ ambiguæ viderentur, inquisitionem permisit ; coram eodem hæreticos errorem suum exuere jussit ; sed, si, post illam abjurationem, in errorem relaberentur, judicem laicum causæ cognitionem excipere ; item de omnium laicorum causis laicum magistratum cognoscere ; hoc denique Regis decretum observari, donec, causa melius cognita, aliter statueretur [3].

Sed ex ipso Philippi decreto nova eodem anno controversia, propter duorum hæreticorum, Martini Maillardi et Danielis Sylvii, abjurationem, inter magistratum et episcopum orta est. Ambo a Regis quæsitoribus et civitatis judicibus capite damnati erant ; quibus Margarita ignoscendi potestatem ea condicione permisit, ut in populi

1. PAILLARD, I, p. 363-364.

2. *Id.*, I, p. 375.

3. *Id.*, p. 386-390.

conspectu hæreticos errores exuerent et civitate expellerentur aut in carcere asservarentur. Cum autem Regis quæsitores petierunt ut dies indiceretur quo errores Maillardus Sylviusque exuerent, et Maximilianus, qui tunc Valentianis erat, et civitatis judices simul rem sui officii esse contenderunt. Maximilianus neque canonicum neque juridicum esse dicebat, si magistratus abjurationem susciperet, cum ad episcopum eo certius hæreticæ causæ spectarent quod ad eumdem ambiguarum cognitionem Rex dedisset [1]. Et quanquam, auctoribus Philippi quæsitoribus, Margarita controversiæ componendæ causa instituerat ut laici judices hæreticos abjurationis damnarent, episcopus autem ejusve ministri abjurationem susciperent, ipse Maximilianus sententiam pronuntiavit: Martinum Maillardum et Danielem Sylvium in Cameracensibus custodiis habendos et sui judicii esse declaravit. Senatus autem Valencenus huic sententiæ reclamavit, quod episcopus jus suum excessisset et civitatis privilegia læsisset [2]. Cum autem calvinianorum audacia inter illas controversias glisceret, Sylvius suos errores exuere noluit et remo regiæ triremis in perpetuum affixus est [3]. Præpositus La Thieuloye, cum Valentianis intelligeret quantum illæ contentiones fidei catholicæ restituendæ obstarent, Margaritæ instabat ut controversiam dirimeret, quod ecclesiæ catholicæ maxime conduceret: archiepiscopo enim adjuvante, multos addebat tunc alios hæreticos reperiri posse [4].

Ex omnibus illis contentionibus inter episcopum et civitatem apparet Maximilianum Valentianis hæreticos libere persequi non potuisse. Itaque non unum Maximilianum insimulare decet, quod Valentianis diu ecclesia catholica oppressa sit. Quot enim calvinianos laici judices, inscio

1. PAILLARD, *Op. cit.*, III, p. 533.
2. *Ibid.*, III, p. 176-186.
3. *Ibid.*, IV, p. 90-92.
4. *Ibid.*, III, p. 199-200.

Maximiliano, persecuti sunt [3]! Archiepiscopo tantum ecclesiastica potestas est : cotidie quidem Valentianas sacerdotes mittit, qui fidem catholicam in carceribus hæreticos doceant [1]. Sed quid ipse potuit in civitate quæ jam vi tantum subigi poterat?

Attamen pesti hæreticæ gliscenti non remisse resistendum censebat ; quamvis accusarentur clerici quod sanguinem semper deposcerent, cum nunc elaboraretur ut calviniana factio exstirparetur, eam acriter urgendam et principes maxime lacessendos, nec curandum pauperesne essent an divites, an etiam ita civitas concidere posset ; nam, malo detecto, rerum restituendarum necessitatem urgere ; si animadverterent se metui, licentiam ita increscere posse, ut jam nullum futurum esset non Valentianis modo, sed et in aliis locis remedium ; sin autem pœnas solverent, alibi hæreticos, metu perculsos, citius ad sanitatem reversuros [2].

Valentianis autem potius hæresi prævertere quam hæreticos persequi Maximiliani officium fuit. Quanquam gubernatrix Maximilianum hortabatur ut in ipsa Valencena urbe quæreret quo modo calvinianis obstandum esset, non illi tamen liberum arbitrium permittebat, tanquam ille tantum Regis minister esset. Itaque eum jubet primum presbyterorum vitiis attendere. Cum autem de ea re marchio Bergensis multa cum Maximiliano communicavisset, tandem Margaritæ scripsit sibi et episcopo timendum videri ne brevi Maximilianus res restituere non posset, cum Summi Pontificis auctoritas de plerisque rebus requireretur ; Valentianis tamen et in aliis locis doctos prædicatores prudentesque presbyteros instituendos, ne catholicæ ecclesiæ adversariis, qui clericos sacramenta vendere contenderent, calumniandi esset occasio [3].

1. Paillard, *Op. cit.* III, p. 105 et 399.

2. Groen van Prinsterer, *Archives ou Correspondances inédites de la maison d'Orange-Nassau*, I, p. 118.

3. Paillard, II, p. 92.

Margarita igitur quasi officiorum magistra Maximiliano fuit, cum juberet marchionem Bergensem mense junio 1563, et Regis quæsitores ad colloquium congressumque Maximiliani et magistratus Valentianas prodire, ut et clerici et officium divinum restituerentur. Dein presbyterorum, id est ipsius archiepiscopi, munus assignat : præcipit enim ut qui Valentianis præpositi sint curiis eas gerant, sin aliter earum fructibus destituantur, cum adversis temporibus, eos qui ecclesia vivant opem ferre ecclesiæ oporteat. Si quis resistat nec episcopi auctoritas valeat, eum Margarita sibi deferri jubet, in obedientiam regis redigendum. Denique Maximiliano consulendum ut probi presbyteri aut monachi dominicis festisque diebus prædicent et indigni excludantur [1].

Sed, etsi ea mandata persequitur, Maximilianus hæreticos cohibere non potest et extremo 1562 anno, profectis quæsitoribus militibusque, calviniani, gliscente audacia, palam religionem suam colunt [2]. Non eos ad pristinam catholicam fidem revocare possunt illi presbyteri, quos anno 1563 improbos esse ignarosque Margaritæ marchio Bergensis scribit [3], et ipse Maximilianus eodem tempore gubernatrici has misit litteras quas supra rettuli : se tam pravos sacerdotes invenisse ut valde perhorruerit, nec alios habere magis idoneos quos eis substitueret, nec aliud remedium reperisse quam si eos juberet diligentius studere ; post tres aut quatuor menses iterum visitaturum esse et tunc in eos se gesturum prout officio functi fuerint : interea mendicos monachos arcessivisse, qui dominicis diebus prædicarent [4].

Quinetiam Maximilianus aut ipse, dum Valentianis erat, aut per suos legatos cum quæsitoribus et magistratu de alia re egit, quæ prolapsæ fidei catholicæ succurrere

1. Paillard, *Op. cit.*, I.
2. *Ibid.*, I, p. 140.
3. *Ibid.*, III, p. 399-400.
4. *Ibid.*, III, p. 422-423.

posse videbatur, id est de eleemosynis et scholis. Præpositus enim La Thieuloye calvinianis eleemosynarum dispensatores ita favere dicebat, ut pauperes qui etiamtum essent catholici ad hæreticum cultum inducerentur. Nonnulli etiam inter illos dispensatores ipsi postea in crimine fuerunt. Quod ad scholas spectat, Maximilianus propositorum auctor fuit, quæ fere omnia Magistratus probavit : ne quis, nisi catholicus, scholam aperiret; magistrorum numerus definiretur, et in eorum tantum scholas pueri irent; illi primum libellum haberent in quo essent litteratura, Pater Noster, Credo, Dei et ecclesiæ mandata, missæ summa et officium, Confiteorque cum quarumdam partium gallica translatione; illæ scholæ sæpius visitarentur; magistri et magistræ diebus dominicis ad missam et certis diebus ad confessionem suos discipulos ducere juberentur; magistratui nomina deferrent parentum, qui liberos suos ad ecclesiam ducere nollent, ut quam ob causam magistratus inquireret [1].

Quæ omnia magistratus edicto sanxit. Magnum autem erat negotium magistros, quibus tantum munus committeretur, invenire. Margaritæ scripsit Maximilianus sibi cogitanti quibus modis hæreticæ sectæ exstirpari possent, nihil potius visum esse quam ut bene instituendam juventutem curaret (die 28 mens. januar. 1564). Eam jam superiore anno hortatus erat ut Valentianas Jesuitas arcesseret; quæ autem respondit se magnopere eum laudare et orare ut sine mora publicam Jesuitarum scholam conderet; quam ob causam Valenceno magistratui scripturam esse [2] (die 6 Nov. 1563). Pro tanto beneficio se aliquandiu Patres sustentaturum esse anno 1564 pollicetur, licet parvæ ipsi sint facultates et magno negotio Cameraci Jesuitas jam alat [3]. Non autem Valentianis Jesuitas tunc instituere potuit, qui tantum anno 1582 in hanc urbem admissi sunt.

1. Paillard, *Op. cit.*, IV, p. 211-216.
2. *Id.*, III, p. 559.
3. *Id.*, IV, p. 230.

Omnia illa Maximiliani consilia ad irritum ceciderunt. Clericorum mores non correcti sunt et anno 1564 Maximilianus apud Margaritam queritur quod in maxima bonorum presbyterorum et prædicatorum orbitate sint Valentianæ [1]. Plures etiam parentes hæresis infecerat, quam ut in scholis magistris catholicis apud pueros magna esset auctoritas. Quanquam autem Valentianis non multum potuit Maximilianus, calviniani tamen severitatis quæ, in eos nequicquam adhibita est, auctorem eum esse duxerunt et invisum habuerunt. Anno 1563 plebs Valencena, quam fortunis omnibus mercaturæ intermissio everterat, civitatis magistratui litteras misit, quibus Maximiliano et Granvellano, non quidem inscio, supplicia, miserias suas militesque in urbe constitutos delegabat [2].

Toto anno 1564, Maximilianus cum quæsitoribus et Margarita hæreticis attendere non desinit et de inclyto prædicatore Valentianis habendo, de deversoriis inspiciendis et conjunctione Valencenorum calvinianorum et Gallorum hugonotorum prohibenda cum iisdem tractat. Sed ab anno 1565 Valentianis fere nihil egit Maximilianus. Tunc tumultuum Valencenorum historia quasi vacat : Valentianæ enim suppliciis, fustuariis exsiliisque exhaustæ et victæ videntur [3].

Anno autem postero, militibus, ut ita dicam, cedunt clerici. Tunc enim tam multi erant vel Valenceni vel exteri calviniani ut Valentianas alteram Genevam futuram dicerent. A Margarita jussus intra urbem præsidiarios milites accipere magistratus, propter civitatis privilegia, noluit et portas clausit (die 14 mens. dec. 1566). Tunc pro seditiosis ac pro Regis patriæque hostibus Valencenates Margarita habuit. Statim Valentianas qui propter hæresim aut scelus aliquod in exsilium acti erant redeunt

1. Paillard, *Op. cit.*, IV, p. 143.
2. *Id.*, III p. 151. — *Papiers d'Etat*, VII, p. 219.
3. Paillard, IV, p. 143.

et, quod validis viris urbi opus erat, omnes admittuntur. Magna autem fuit eorum, sub religionis specie, ut solet, licentia et magnæ in catholicos injuriæ.

Non bella quæ circa Valentianas facta sunt narrare aggrediar. Belgii calviniani omni ope enisi sunt ut oppidum servarent, quod opportunus Galliæ quasi limes videbatur. Diu oppidani restiterunt, ab Antverpia et præsertim Gallia auxilium exspectantes. Ad Condæum nuncii sæpius missi sunt et Maximilianus, qui in Cameracesii finibus hugonotos speculabatur, Condæum ad Anisiacovicum synodum edixisse tunc scripsit (die 22 mens. febr.); timendum esse ne sub umbra synodi infestus conventus haberetur qui, data occasione, cum Belgis communicaret aut se conjungeret [1]. Itaque ut sine mora Valentianæ obsideantur petit. Ipsum Alavam, qui in Gallia Philippi regis legatus erat, Valencenarum rerum certiorem facit et quanto opere intersit non mediocrem diligentiam adhibere monet : quocirca eum amicissime orat ut ea sibi renuntiet quæ de Belgicis tumultibus in Gallia audiat, et quæ præsidia a Germania aut Gallia calviniani exspectent [2]. Valentianæ in deditionem die 24 mens. martii 1567 venerunt et Maximilianus in urbem subactam iniit, quam ab hæreticis vindicaret [3].

In summa, primum Valentianis in sua ecclesiastica provincia, sed extra suum comitatum, hæreticos Maximilianus invenit et persecutus est, ut episcopum decebat Margaritaque et Philippo quasi auctoribus. Laboravit ut ab initio Valentianis calviniani opprimerentur, ne inde hæretica pestis in Cameracesium ipsum transiret. Attamen ab ecclesia Valencena consilia calviniani Castelli exquisiverunt; calviniani etiam Valenceni Cameracum ita sollicitaverunt, ut Maximilianus in sua ipsa civitate quadringentos

1. Arch. Nation. K. 1507.

2. *Ibid.*

3. Robaulx de Sonnoy, *Histoire des troubles advenus à Valenciennes par Pierre Joseph Le Boucq*, p. 62.

milites magno suo sumptu constituere cogeretur [1]. Annis 1566 et 1567 catholica ecclesia graviter vexata est et multis in locis hæretici dominari visi sunt. Ubicumque Maximilianus neque alligatus neque impeditus est, res fortius gessit et hæreticis parum ignovit : Castello enim capto, statim supplicia sumi ita jussit ut Cameracensis stationarius ad Alavam cum ornatissima laudatione scripserit : Castellum in Maximiliani dicionem venisse; pridie periisse duos prædicatores, manibus amputatis, patibulo affixos; quinque et viginti aut triginta pœnas soluturos esse ac deinceps nonnullos alios Cameracum ductos; si ubique ita esset, res meliore loco fore; Valentianis autem ducem præcipuum seditiosorum, Michaælem Herlinum, nondum pœnas dedisse et cotidie tota urbe vagari et nonnullos alios seditiosos nondum in carcerem conjectos esse [2].

1. *Corr. de Granvelle*, II, p. 2.
2. Arch. Nat. K. 1507.

CAPUT VI

QUOMODO MAXIMILIANUS BELGICIS REBUS, AD VENIAM GENERALEM IMPETRANDAM, SE IMMISCUERIT

1. De venia generali ante publicam Maximiliani intercessionem.

Ante publicam Maximiliani intercessionem, jamdiu aperte de venia, tanquam de magna re et ferme primum in rebus Belgicis obtinente locum, agitatum est; nihil autem nisi anno 1570 decretum, nihil nisi illiberaliter concessum.

Inceptis statim tumultibus fuerant sine dubio inde viri qui, rebellionis conscii, ad veniam petendam inclinaverant; fuerant inde alii qui vel consilio et prudentia, utpote rerum publicarum periti, vel humanitatis aut amicitiæ causa, resipiscentibus ignoscendum putaverant. Ceterum qui, in futurum consulentes, ut edicta a Carolo V in hæreticos lata mitigarentur petebant, utique mox petituri erant ne quis ante actarum rerum accusaretur. Plures demum judicabant datam, si data foret venia, illam quam tot cives vocabant, libertatem.

Anno 1565 postulatur venia : tum et in Hispaniam missus Egmontius; et habitus congressus episcoporum theologorumque cum Orangio, Egmontio Hornanoque et Flandriæ Trajectique conciliorum præsidibus, et facto a nobilibus fœdere, fœderatorum Aquis Luviensibus, Vianæ, Antoniæ, Bredæ et Hochstratæ conventus; et libellus in

Margaritæ manum a Gheusiis traditus, quo edictorum Caroli V abolitio petebatur.

Margaritæ quidem animus non veniæ infensus erat. Libello notam Gubernatrix adscripsit, se ad regem relaturam de ea re et interim edicturam ne sævior Caroli V tabularum exsecutio ullam querelam haberet. Nec videtur multum abhorruisse ab Egmontii Hornanique sententia, cujus litteris publicis prima (die 25 mensis martii 1566) regem certiorem fecit : Utrumque comitem credere, si fœderatis præteritæ injuriæ omnino remitterentur, res non ultra progressuras ; quod nisi fieret, cavendum ne totum Belgium everteretur [1]. Quod, tribus vix aut quatuor annis peractis, prædicaturi erant homines qui tunc clementiæ adversabantur.

Anno 1567, cum rex in ejus locum Albanum suffecit, non dubitavit Margarita quin exponeret suppliciorum metum, e magno exercitu ortum, multos compulisse, quibus non satis certa veniæ obtinendæ fides, in externas regiones ut fugerent, non sine magno Belgii detrimento ; se autem timere ne alii, quoquo modo in patria retenti, in tumultus et conjurationes ruant : nunquam enim Belgis e terrore venerationem principum ortam ; se igitur orare ut rex Belgarum pœnæ pænitentiam præferat [2].

Paucis diebus antequam a Bruxellis discederet, ducissa Parmensis Philippi regis mentem ad misericordiam lenitatemque reducere iterum nitebatur, scribendo, inter alia, divinam clementiam eo magis regibus imitandam, quo majores illi sint et propiores Deo ; ceterum, olim Belgarum principibus fuisse in usu seditionum duces castigare, sed reliquis ignoscere (die 22 mensis Novembris 1567) [3]. Multis quoque verbis egit eamdem causam apud Albanum in colloquio quod, præsente concilio, ad postremum

1. *Corr. de Philippe II*, t. I, p. 401-402. Cf. *ibid.*, p. 403 et 418.

2. Cf. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* I, p. 490-491.

3. *Corr. de Philippe II*, t. I, p. 602.

habuit; instanti negavit dux [1]; nec improbavit Philippus [2]. Nondum tamen Margarita regis placandi spem amiserat [3]. Etenim, vix Lucemburgum advecta, Philippo litteras misit, quibus iterum moneret veniam generalem quam maturrime concedendam [4].

Quæ quidem preces adversis animis acceptæ. Nihil enim nisi atrox et sævum loquebantur Hispani, nec, si forsan veniam tribuere necesse foret, eam a Margarita edictam volebant. Scilicet nonnulli circa ducissam, quorum suspecta erat integritas, nec metus aberat ne per eos venum iret reorum absolutio. Morillonius litteris facit ut hanc de Mansfeldio et Armenterio opinionem Granvellanus sciat[5], nec dubitat, Margarita veniam pro Antverpiensibus petente, quin significet utrumque venalia beneficia pecunia grandi sollicitantibus delaturum[6].

Attamen ante Albani adventum forte non adversa erat veniæ generali ipsius Philippi regis voluntas. Etenim sua eum cogere videbatur utilitas. Fœderatis magis ac magis ferociam præ se ferentibus, potuerat, ut multi, secum quærere nonne danda foret venia, pacis in futurum et obsequii merces. Sed animadvertendum Belgis in animo hærere non ab ipso rege, sed a Statibus generalibus veniam concedi debere; sic enim domesticam rem fore, sic gentem totam de injuriis ab Hispano illatis, de Inquisitione, velut expostulaturam[7]. Quod autem recusabat Philippus: quippe quem non falleret se nobilibus provinciam traditurum, si Status convocarentur, atque negotiorum molem aucturum. Cui demum potuisset certum esse Belgas[8], post anteac-

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 611.
2. *Ibid*, t. II, p. 11-12.
3. *Corr. de Granvelle*, III, p. 156.
4. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 6.
5. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 479.
6. *Ibid.*, II, p. 502-503.
7. *Ibid.*, I, p. 357. Cf. *ibid.* p. 358 et 366.
8. *Ibid.*, p. 525.

tarum rerum oblivionem, fidem postea servaturos[1]?

Itaque diu cunctatus, sed tamen Margaritæ monenti tanquam obsecutus, videtur statuisse Rex Philippus veniam generalem concedere[1]. De re scriptæ litteræ simulque aliæ apud Belgas editæ, quibus mutatæ tabulæ nuntiabantur, salva regis auctoritate et catholica fide. Sed, paucis post diebus, præsente Albano duce, a tabellione quem Philippus arcessiverat, scripto mandatur Philippum quidem regem Margaritæ Parmensi potestatem fecisse ut iis ignosceret qui rebellionis Belgicæ participes fuissent, sed, ob præsentium temporum necessitatem, ita ut nec istiusmodi promissis standum, nec jus animadvertendi in sontes, præcipue in seditionum auctores, abdicandum putaret[2].

Simul data legato, qui Romæ erat, cura ut sciret Pius V non oblitum esse Hispaniæ regem nullius, nisi Pontificis summi, ex officio Inquisitores amovere in potestate esse; rem itaque irrite concessam; neque etiam venia indignum quemque postea extra pœnam futurum; Philippum hæreticorum regem esse nolle; cuncta autem illa esse tacenda[3].

Mox patuere Philippi consilia: Granvellano enim scripsit Morillonius veniam impetraturos tantummodo eos qui privatim eam petierint; cetera in regis adventum dilata; datam in primis operam ne Status generales congregarentur[4]. Itaque litteræ, quibus Margarita præcipuarum civitatum magistratibus nuntiabat Regem, ratione habita rerum quas ipsa Equitum Ordinis et Concilii Status sententia mandaverat, amovere ex officio Inquisitores tabulasque in hæreticos factas abolere, nec in posterum crimini Nobilium libellum fœdusque auctoribus daturum, modo ut salva foret catholica religio et reprimerentur tumultus[5], novas volentibus res non satis

1. Reiffenberg. *Correspondance de Marguerite d'Autriche*, p. 96 et 116.
2. *Corr. de Philippe II*, t. I, p. 443.
3. *Ibid.*
4. *Corr. de Granvelle*, I, p. 416 et 419.
5. *Correspondance de Philippe II*, t. II. p. 584.

fuere. Eos etiam, quibus venia generalis fuerat concessa, adeo non fallebat Philippi clementiæ subesse fraudem, ut, accepto beneficio, in culpa perseverarent. Mechliniæ Hochstratanus, sua sponte religionis prædicationumque libertatem denuntiavit, promulgata simul præteritarum rerum venia[1]. Interea non desinunt imagines per urbem infringi; exsilio tantum multantur qui in noxa sunt[2], nec tamen abit novarum seditionum metus : tanta, ait Morillo, videbatur esse ibi impetratæ rei negligentia[3] ! Recusabant vero veniam, quam non tribuissent Status generales, Nobiles multi ; recusabant alii, nisi amplior foret[4].

Igitur animorum mutatio. Jam nunc qui Belgio præerant eo facilius veniam negare possunt, quod nonnulli, præsules præsertim, et inter omnes Acquicinctinus, post vim per annum 1566 non nusquam factam, minus quam incipiente anno causæ favebant. Sub finem mensis novembris 1566, scriptum Granvellano a Morillonio hoc placiturum multis, si rex tandem se esse regem ostenderet[5].

Item mediæ et ultimæ dignitatis nobiles minime pro parte veniam votis petebant[6]. Morillonius enim scribit duo esse millia nobilium qui contra veniam contendere parati sint; quorum plures gloriari, nec immerito, se insectantibus obnixos fuisse ; alios autem Deo gratias agere quod mature rem deseruerint. Sic veniam profuturam tantummodo perpaucis, iisdemque pervicacissimis, atque una hominibus religionis libertatem affectantibus[7].

Orantibus ut omnibus ignosceretur qui per tumultus regem offendissent diu responsum ita fuerit, ut diffugeretur rei auctoritas et negotium in incertum tempus, scilicet in

1. *Correspondance de Granvelle,* I, p. 525.
2. *Ibid.*, II, p. 23.
3. *Ibid.*, II, p. 65.
4. *Ibid.*, II, p, 102-103 et 198.
5. *Ibid.*, II, p. 125.
6. *Ibid.*, II, p. 497.
7. *Ibid.*, II, p. 488.

adventum regis, protraheretur[1]. Desperato Regis adventu, Albano autem supplicia semper jubente ac Belgium tanquam civibus exhauriente, additæ vires causæ illorum qui veniæ favebant ; nec jam tantummodo Belgium misericordiam exposcebat, sed Germania quoque ipsaque Roma. Nunquam quidem Germaniæ principes, qui semper cum Orangio et fratre Ludovico Nassavio aliquid rationis habuerant, æquo animo Belgarum rebellionem spectaverant. Scimus Belgarum nobiles, in comitiis Augustæ Vindelicorum habitis, flagitasse ut Germania Belgio succurreret, sed nihil inde consecutum ; scimus etiam Imperatori Maximiliano animum non omnino ab hæreticorum causa alienum fuisse. Anno 1567, jam Saxonicus et Brandeburgicus septemviri Imperii, Wittembergensis Dux, marchio Badensis Hassiæque lantgravius legatos Margaritæ miserant ; qui die vigesimo et primo maii mensis admissi sunt. Responderat autem ducissa se mirari litteras a Germanis principibus missas ; eis sine dubio non vera de rebus Belgicis delata ; se autem suo munere functam, haud secus atque Hispanorum regem, animadvertendo adversus rebellantes et pacem publicam perturbantes ; nemini demum e principibus tantam hominum qui sub imperio sint contumaciam tolerabilem fore[2]. Litteris Vindobonæ eodem anno 1567 septimo die Martii mensis datis, Philippum regem ad clementiam hortatus fuerat ipse Imperator.

Sic agebat Maximilianus Imperator, utpote qui Belgium Imperii partem haberet. Quibus ex litteris patebat quoddam in Augustanam religionem studium : cui enim Germani, quanquam calvinianos et anabaptistas asper-

1. *Mémoires de Pasquier de la Barre*, t. II, p. 136-178. — Cf. *Corr. de Granvelle*, II, p. 356.

2. *Correspond. de Philippe II*, t. I, p. 538. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 378 et 466. — Groen van Prinsterer, *Op. cit.*, III. p. 80, sqq. — Strada, VI, p. 268, sqq. — *Bulletin de la Commission Roy. d'hist. de Belgique*, t. V, p. 392, sqq.

nantes, satis favebant[1]. Philippo autem idem hæreticarum cujuscumque modi religionum odium ; haud igitur difficile est quid responderit intelligere[2].

Incipientibus Albani sævitiis, jam magis instant Germani et principes, olim a Margarita repulsi, Maximilianum cogunt ut rursus Philippum Albanumque aggrediatur ; sin aliter mox Germaniam Inferiorem bellum laceraturum ; rem igitur Germaniæ libertatis interesse ; itaque paranda quam primum arma ; suæ Maximiliano forsan familiæ magnitudinem et Hispanorum potentiam nimis cordi esse ; si id esset, se Romanorum regem electuros, qui mox Hispanos ad necessitatem pacis Belgis concedendæ adduceret[3]. Jubente igitur Germania, posteriores ab Imperatore litteræ secundo die martii mensis 1568 ad Philippum missæ ; quibus non dissimulabat se ab Augustalibus septemviris coactum esse ut pro Belgii civibus legum, quibus Imperium regebatur, exsecutionem peteret[4]. Nihil aliud ab Hispano responsum nisi se curare catholicam fidem conservandam[5]. Eodem anno rursus Augustales septemviri et alii Germani principes Imperatorem orando primum, dein scribendo, adoriuntur[6] ; qui tunc pollicetur se missurum in Hispaniam fratrem archiducem Carolum[7]. Cui Philippum adituro mandatis fuit præscriptum ut a rege contenderet de revocando Albano duce et sumendo ad regendum Belgium Austriacæ domus, semper Belgis acceptissimæ, principe. Scriptis, quibus instructus erat Carolus, relata

1. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* IX, p. 41-42 — *Comptes rendus des Séances de la Commission Roy. d'hist. de Belgique*, 4e série, t. V, p. 351 et sqq.

2. *Comptes rendus des Séances de la Commission Roy. d'hist. de Belgique*, ibid, p. 377.

3. *Hist. de Ferdinand Alvarez de Tolède, premier du nom, duc d'Albe*, Paris, Guignard, 1699, p. 286 et sqq.

4. *Corresp. de Philippe II*, t. II. p. 14-15.

5. *Ibid.*, II, p. 27.

6. *Ibid.*, t. II, p. 38-39.

7. *Ibid.*, II, p. 40.

erant principum, quæ supra rettulimus, de eligendo Romanorum rege verba: Quid fore si apud Gallos eum quærerent? sic Gallorum regem Germaniam primum, mox Belgium occupaturum esse, populo ibi mitiores dominos undecumque vocante[1].

Non fugit Philippum ab Imperatore Belgii administrationem pro fratrum uno sic postulari. Nuntiatis rebus ab Albano prospere gestis, ad summum demum respondit Belgium minime ex Imperio pendere; se non posse Albanum victorem eo revocare tempore, quo hæretici in Belgium irrupturi viderentur: ceterum se nunquam armatas preces audivisse [2]. Sub finem non deerant minæ: « Quod si in Hispaniæ regem conspirent arma Germaniæ, et vires esse Philippo et ducem, qui non semel de ejus potentia triumphaverit [3]. » Ab Albano quoque legatis, quos Imperator Bruxellas miserat, responsum est, sibi nihil auctoritatis esse nisi ut orbi terrarum ostenderet Belgarum vitam regem penes esse, se penes victoriam [4].

Postea eadem Hispanis mens adversus iterantem postulationes Germaniam [5], ita ut nihil ex iis ad veniam obtinendam profuerit, etsi Philippus Albano semel scripsit eam concedendam, ut placarentur Germani, qui arbitrarentur eum velle Belgas fortunis evertere easque Hispanis tradere [6].

Gravior videri poterat auctoritas vocis emissæ Roma: quæ tamen irrita quoque fuit. Pius Papa Quintus, quem nunc Ecclesia sicut sanctum veneratur, Asculi episcopo,

1. *Corr. de Philippe II*, II, p. 43-44.

2. *Hist. de Ferdinand Alvarez de Tolède, Op. cit.*, t. II, p. 289-290.

3. *Ferdinandi Toletani Albæ ducis vita et res gestæ, Authore P. Antonio Ossorio Salamanticæ*, 1669, p. 260-262.

4. *Hist. de Ferdinand Alvarez*, etc., t. II, p. 290. — Meteren, *Hist. des Pays-Bas*, lib. III, p. 65. — *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 44-45, 48, 54, 55 sqq., 59 sqq.

5. Meteren, III, p. 65.

6. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 63. — Cf. *Corr. de Granvelle*, IV, p. 30-31.

finiente anno 1566, officium dederat ut hortaretur ad clementiam Philippum; sævitiis res magis ac magis turbari, non sine magno ecclesiæ detrimento : misericordia plus quam ferro et igne profici. Suadenti asperrimus fuit Philippus et legato, quem tunc Romæ habebat, imperavit ut doceret pontificem quanto dolore rex admonitionem tulisset: Philippum quidem non sanguine nec gentium vastatione delectari ; vi tamen, tanquam breviore et tutiore via, usurum, ne quid damni religio caperet; igitur sperare fore ut summus pontifex jam istiusmodi consilia omitteret. Sic, ut videmus, clementiam, religionis nomine, pontifex, religionem autem Philippus afferebat sævitiarum causam et adjutricem [1].

Jam nunc procul dubio nobis est Romam libenter veniæ assensuram. Nec forte fuisset mora, nisi Albanus, cujus dictis semper parebat Philippus, usque ad medium annum 1570, rei impedimentum fecisset, quæ præterea fere inanis per eum facta est.

Quanquam enim instabat Philippo ut res concederetur eminentissimus quisque inter illos qui ei consiliari poterant, Granvellanus, Viglius, Hopperus, Margarita, Richardotus, Maximilianusque a Bergis, Albanus veniam imma turam esse asserebat, sed oportere potius ut terror capiti cujusque impenderet ad pecuniam ingentem ex urbibus necnon et privatis obtinendam [2]; suppliciis maximum terrorem mentibus injectum, omnibus opinionem esse Hispanos rempublicam in perpetuum vi administraturos, nec posse civibus secum talia cogitantibus regis amorem esse [3]. Non melius veniæ opportunitas ostendi poterat. Quid tamen postea? Paucis post diebus imperabat idem ut Mechliniense concilium curaret observandas de religione latas a Carolo V et Philippo II leges, neglecto quod Margarita præceperat

1. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* I. p. 470. — Gachard, *la Bibliothèque de Madrid*, p. 92-93. — Cf. Forneron, *Histoire de Philippe II*, t. II, p. 86.

2. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 4.

3. *Ibid.*, t. II, p. 29.

laxamento [1]. Interea tamen querebatur sibi necessitatem esse ut carnifex foret [2].

Itaque catholici qui veniæ favebant rem tanquam ex Philippi adventu habebant pendentem. Granvellanus, qui multitudini ignoscendum, sed castigandos seditionum auctores censebat, rem maxime laudabat [3]: sed iter sine mora faciendum; itaque quam primum pœna afficiendos rebellionis principes; sic facile, nec cum periculo regem misericordia usurum et sibi civium studia conciliaturum [4]. Vastabat enim terror Belgium et exhauriebat [5], magno Granvellani et prudentium metu. Anno 1567, die sexto decimo augusti mensis, Maximilianus a Bergis scribebat: Timentes multos ne sibi ignosceretur digressos esse cum bonis, atque innocentes ipsos dimidiam fortunarum partem, ut pax confirmaretur, non invitos relicturos [6].

Albano aures non omnino querelis surdæ erant et gratiæ veniæque generalis formulam aliquam Viglium concipere jussit. Viglius autem statim agnovit effectum veniæ de die in diem procrastinari [7], primum quod Albanus formulam ad regem duxerit esse mittendam [8]. A Viglio etiam concepta non per omnia placuit [9] aliamque Dux Regi misit quam, si edita fuisset, « exceptiones innumeræ pæne illusoriam reddidissent. Si quid, addit Viglius, ego mitius consuluero, ad id me Regis honor, ac apud Deum meritum commiseratioque reipublicæ quam ad tranquillitatem ac catholicam religionem reductam velim, potissimum impellunt; teque patronum in hoc, si opus erit, exhibere

1. Gachard, *La Bibliothèque Nationale à Paris*, I, p. 393.
2. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 277.
3. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 531.
4. *Corresp. de Granvelle*, t. II, p. 575-576 et III, p. 16. — Cf. *Ibid.* III, p. 75.
5. *Ibid.* III, p. 37.
6. *Archives Nationales*, K, 1508. Cf. *Corr. de Granvelle*, III, p. 208.
7. Hoynck van Papendrecht, *Analecta Belgica*, p. 452-453.
8. *Ibid.* p. 455.
9. *Ibid.* p. 456.

velim [1]. » Etenim Hopperus libellum regi misit, ut venia generalis concederetur, et civitatibus litteræ scriberentur quibus civium animi recrearentur [2]. Clementiæ autem obnitebantur Vergasius aliique qui criminalibus judiciis præerant [3].

Intra priorem anni 1568 partem privatis veniis, tanquam gradu ad generalem veniam ab Albano via facta videbatur. Sic Claudius Belinus, qui e Turbarum concilio erat, Granvellanum docebat ducem Albanum nuper prædixisse se, dum venia generalis edicta foret a rege, supplices interim libellos eorum qui crimen aliquod ob recentes tumultus aut pœnam timerent excepturum, postulationibusque concessurum, nisi foret gravior res [4].

Gratia autem nonnullis tantum concessa videtur Albanus falsam Belgis spem dare voluisse. Morillonius, qui bis junio mense 1568 Granvellano scripserat veniam generalem « certo modo » Albanum mox promulgaturum [5], augusto mense eidem nuntiavit nullam jam veniæ mentionem esse et ob hanc causam complures ab omni spe derelictos [6]; nonnullos enim, non sine jure, contendere veniam dilatam esse propter cladem ab Arembergio acceptam, « ne videretur dux Albanus coactus » [7]; nunquam Albanum veniam concessurum esse, dum seditiosi in armis starent, ne se prædicarent illius veniæ auctores fuisse et Albanum coegisse [8].

Quæ ratio apud multos, vel catholicos, minime valebat, qui indignabantur cernentes tot et tanta damna e sævis-

1. Hoynck van Papendrecht, p. 463.

2. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 31.

3. Hoynck van Papendrecht, *Analecta Belgica*, p. 478.

4. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 257. — Cf. III, p. 376-377 et *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 665.

5. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 267 et 285.

6. *Ibid.* III, p. 331.

7. *Ibid.* III, p. 296.

8. *Ibid.* III, p. 339 et 462.

simo bello orta, totque viros bonos, quos nunc desiderarent cognati, sublatos; oportere igitur eorum animos placare ad mitiora inclinando [1]. Denique anno 1569, Albanus legatione illorum qui in ecclesia Belgica principem locum obtinebant admonitus est ut tandem veniæ curam daret: huic legationi præerat Maximilianus a Bergis.

2. De Maximiliano clementiæ suasore.

Quomodo discordiæ sedari possent inquirere Maximilianus nunquam destiterat et, vel ante annum 1566, quo tantæ turbæ Belgium commoverunt, jam illam moderationem præstiterat, quam tribus aut quatuor post annis laudaturus erat. Vehementissime et ipse querebatur de hæreticorum audacia et rabie, qui, inquit, nihil prætermiserunt quod Deum in contemptionem adduceret. Sed eorumdem, quos de recta regione deflexos dicit, miserebatur et quærebat quomodo in eam reduci possent [2].

Quod ut fiat, ea remedia præoptanda Maximilianus censet quæ vim non recipiant, id est preces, sermones, scholarum institutionem correctionemque clericorum, qui et exemplo et alloquio catholicos in ecclesia Romana retinere possint. Supra vidimus quo studio petierit ut Societatis Jesu Patres Valentianas arcesserentur; quos enim magni faciebat eisque prædicandi munus contulit. Cum P. Laynez, præpositus generalis Societatis, a colloquio Pinciaci habito se reciperet et, ante concilium Tridentinum, Cameraci commoraretur, eum Maximilianus oravit ut ipsi ministerium Patres pollicerentur et Collegium

1. *Corr. de Granvelle*, III, p. 389. — Cf. p. 427.
2. *Ibid.*, II, p. 2.

Cameraci conderent [1]. Tunc P. Eleutherius Pontanus, Insulis natus, qui Romæ et in Sicilia grammaticæ rudimentis juventutem feliciter excoluerat, in Belgium remissus, Cameraci prima collegii fundamenta jecit [2]; ei sescentos quotannis florenos Maximilianus dedit ut augeretur familia et nutrirentur professores ; qui, mense maio 1564, scholas instituere cœperunt, ubi litteras humaniores juvenes docerent [3].

Ita inter omnes in Belgio constabat Maximilianum contra hæreticos scholarum fautorem esse ut Vendvillius, cum de collegiis et seminariis instituendis, quæ laboranti ecclesiæ mederentur, libellum scripsisset, eum, priusquam Viglio mitteret, Maximiliano detulerit, quippe cujus et virtutem et doctrinam plurimi faceret [4].

Supra etiam vidimus quam orationem apud synodum Cameracensem anno 1565 Maximilianus habuerit: « Hanc unanimiter nobis scopum præfigamus, ut, dum membra quædam, nostra patrumque nostrorum negligentia deperdita, forsitan recuperare non possumus, saltem operam demus ne malum hoc, quo perierunt, latius serpat, immo si qui aut vacillant adhuc, aut omnino ab ecclesia discesserunt, non tamen penitus insanabiles sunt, nostra diligentia et bono exemplo confirmentur et reducantur [5]. »

Sed non unus ita moderationem in Belgio laudabat Maximilianus a Bergis. Ita cum multis, qui ad pacem restituendam armis suppliciisque præstare clementiam arbitrabantur, ipse conversabatur, ut non natura tantum, sed et ob amicitias ad misericordiam inclinare forsan videretur.

1. Le Glay, *Cameracum Christianum*, p. XLIX.
2. Le Glay, *Ibid.* p. 359. — A. Durieux, *Le Collège de Cambrai*, p. 31-32.
3. Le Glay, *Cameracum Christianum*, p. 359.
4. Possoz, *Vie de Vendeville*, p. 26.
5. Labbe, XV, p. 565.

A. Numqui eum ad clementiam prædicandam induxerint

a. Aliine Belgii episcopi?

Non idem semper de hæreticis et seditiosis puniendis aut de gratia concedenda Belgii episcopi senserunt. Etenim antequam ad Belgium regendum Albanus accessit, a sævitia non omnino abhorrebant; cum autem plura in dies supplicia viderunt, tum quam irrita illa essent et quantum catholicæ caritati repugnarent intellexerunt. Quam suspecti Hispanis, vel ante Albani adventum, nonnulli essent episcopi cogitanti non mirum videbitur illos inter primos veniam generalem ab Albano petiisse.

Notandum est etiam illos episcopos non Hispanos, sed Belgas plerosque esse et, sicut Belgas omnes, Hispanica Albani administratione offensos fuisse. Unde fit ut aliter Margarita gubernante, aliter Albano de seditiosis senserint: cum Margarita et Viglio et Granvellano, quocum semper communicabant, consentiebant; ab Albano, in quem maxima libertate sæpe usi sunt, dissederunt.

Primum quid ante Albani adventum senserint episcopi videmus in illo concilio, quod, assentiente Philippo Rege, post Egmontii reditum a Margarita advocatum est, ut quæreret quomodo populus aut prædicatione aut scholarum institutione ab hæreticis erroribus averti posset [1]. Ex illis præscriptis, episcopus Yprensis Rythovius, Namurcensis Havetius, Audomaropolitanus Gerardus, Jansenius, qui paulo post Gandavensis episcopus factus est aliique theologi

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 346.

Bruxellas die primo mensis junii 1565 convenerunt. Cum Flandriæ et Trajecti conciliorum præsidibus, summi concilii Mechliniensis duobus consiliariis, Orangio, Egmontio Hornanoque qui e Status concilio erant, deliberationem habuerunt. Proceres petieruntutalius seditiosorum modus foret, aut reipsa ut omnis pœna tolleretur. Huic autem petitioni favere episcopi non poterant, quam Viglius ipse repudiavit. Triduo vehementer disceptatum est. Attamen episcopi in eam sententiam concesserunt, quæ edicta in hæreticos lata mitigabat, ut servatis illis edictis juberetur inter sectas et hæreticorum ætatem atque condicionem discrimen fieri, alios severe supplicium solvere, alios tantum publice triremis remo affigi aut bonis multatos in exsilium agi; illis denique esse pœnæ remissionem qui non essent hæretici et visendi tantum causa aut negligentia peccavissent [1]. Episcopi quoque addiderunt hoc esse Inquisitorum munus populum non judiciorum severitate, sed benignitate et paterna caritate moderari [2].

Episcopi autem in illo concilio parum severitatis præstitisse Philippo Regi visi sunt. Die 8 mensis octobris Margaritæ scripsit Rex se nosse nonnullos episcopos legatum missuros, qui de religione se admoneret; se autem id consilium non probare, cum satis sciret quid sibi agendum esset nec deceret episcopos Regem adire [3]. Itaque Fray Lorenço de Villavicencio, qui declarabat sacerdotes Belgicos jam non posse hæreticos a catholicis discernere [4], suadente, Rex, quanquam de religione agebatur, episcopos audire noluit, quos benigniores dixit et timidiores nec satis strenue prædicantes [5]. Episcoporum tamen causam agens, Margarita eos Regi scripsit non esse objurgandos,

1. Hopperus, *Recueil et Mémorial des troubles des Pays-Bas du roy*, cap. V, *De l'Assemblée des évêques.*

2. *Ibid.* et *Papiers d'État de Granvelle*, IX; p. 408.

3. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 369.

4. *Ibid.*, t. II, p. 87.

5. Gachard, *La Bibliothèque de Madrid*, p. 87.

sed recreandos; et in Concilio Status Viglius exclamavit monacho potius quam episcopis Regem credere[1].

In Belgio aliter atque in Hispania visum est. Accepto Gheusiorum libello, Margarita Caroli V edicta mitiganda esse censuit; et, ut animi componerentur, Concilium Status edictum, quod ad mitiganda decreta in hæreticos lata Viglius et Assonvillius instruxerant, provinciarum Statibus exhibere statuit[2]. Hoc igitur edictum pleræque provinciæ probaverunt: in Artesiæ Flandriæque Statibus episcopi Atrebatensis, Audomaropolitanus[3] Yprensisque[4] huic clericorum voto subscripserunt ut clementiæ aurem præbere et edicta mitigare Regi placeret.

Ex illis episcopis alii sunt Maximiliani suffraganei, ut Atrebatensis Richardotus, Audomaropolitanus, Namurcensis Tornacensisque, alii sunt Cameracensis provinciæ vicini, ut Yprensis et Gandavensis. Cunctos clementiæ quasi socios comitesque habuit Maximilianus, quorum alii, natura aut animi magnitudine, ut edicta mitigarentur, vel ante Albani adventum, petierant, alii postea tantum nihil ad pacem restituendam supplicia proficere agnoverunt.

Inter suffraganeos cum Richardoto maxime consensit Maximilianus. Temperatus semper Richardotus vir fuit multumque apud Maximilianum, qui eo plurimum utebatur, auctoritatis habuit. Eum, cum Maximilianus archiepiscopatum accepit, « de Excellentia archiepiscopatus super alios episcopos » orationem habentem supra vidimus, item in synodo anno 1565 habita verba facientem; is quoque se inter Maximilianum ejusque capitulum in conciliationem interposuit. Una Richardotus Maximilianusque Valentianas convenerunt, quæ inter Atrebatensem Cameracensemque ecclesiam inæqualiter partitæ erant; una etiam die 5 mensis octobris 1562, Duacum, cum Duacenæ Aca-

1. Gachard, *Corresp. du prince d'Orange*, t. VI, p. 399.

2. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.*, I, p. 315.

3. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 298.

4. De Meestere, *Historia Episc. Yprensis*, p. 32.

demiæ initium fuit. Denique una, veniæ generalis causa, Albanum adituri sunt. Richardotum etiam quasi sincerum liberumque consiliorum ministrum Maximilianus habuit. Cum enim episcopos convocare cogitaret ut capitulis resisteretur, a Richardoto consilium petiit, qui eum non probavit; item Richardotus, Morillonio si fides adhibenda est, eum reprehendit, quod ei nullus esset Granvellani respectus [1].

Omnibus fere Belgicis episcopis sexto decimo sæculo Richardotus et doctrina et virtute præstitit. Et verbo et suarum virtutum exemplo contra hæreticos in sua diœcesi vehementissime nisus est. Clementem semper se professus est, sicut in illa, quam apud Duacenam Academiam habuit, oratione: « Hæc tamen mala, inquit, quanquam sunt maxima, vitari posse et penitus depelli judico, si quidem eam virtutem, diligentiam, studium ad eam rem præstiterimus hisque armis potissimum certaverimus, quibus quisque vicerit, constet hunc causa, non fortuna superiorem: id est virtute, quæ, quamvis nonnunquam opprimatur impostorum nequitia, victrix semper solet emergere [2]. » Item in synodo Cameraci anno 1565 habita, ostendit quomodo in ecclesiæ catholicæ miseriis se sacerdotes gerere deceret: « Quid igitur a nobis expetitur, Patres? Ut sit delectus in ministeriis, in clero et plebe disciplina, in cultu sinceritas, in ecclesia conservetur dignitas et auctoritas. Quæ omnia togata et incruenta victoria, Christo duce et imperatore, consequi possumus [3]. » Nec tantum verba facit, sed et agit: Duaci ipse hæreticum Lecoq ad catholicam ecclesiam convertit, deinde ejus vitam deprecatus est, quam ei condonare Granvellanus noluit [4]; denique anno 1569, cum maxima auctoritate, ceterorum episco-

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 127.

2. *Reverendiss. et Eloquentiss. Viri D. Franc. Richardoti Atrebatensium episcopi Orationes*, p. 59-62.

3. Labbe, XV, p. 212.

4. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 159.

porum nomine, ad veniam generalem impetrandam apud Albanum dixit.

Inter alios Maximiliani suffraganeos, Namurcensis episcopus, Antonius Havetius, non ita temperatus ac benignus fuit. Primum Mariæ Hungaricæ, deinde Margaritæ Parmensi a sacris confessionibus fuerat. Ad Tridentinum Concilium ivit, ubi sæpius verba fecit et petiit ut illa etiam decreta, quæ Belgii privilegiis maxime erant contraria, observarentur[1]. Commercium litterarum frequentavit cum Granvellano, cui de Belgicis rebus scribere solebat et e Granvellani litteris videmus quanti cardinalis eum faceret. Non ignorabat quot in concilio, anno 1565 habito, inimicitias suscepisset: cotidie esse qui ipsi mortem minitarentur; illas autem minas se minime curare[2]. Etenim, cum multos, inter quos erant episcopus Atrebatensis et Audomaropolitanus et Yprensis, petere ut Caroli V decreta mitigarentur, audivisset, addebat nescire se quid inde ad religionem restituendam proficere posset; errare enim qui putaret modo isto hæreticos ac seditiosos cohiberi posse[3]. Itaque alienum a proceribus habebat animum : coram ipso Maximiliano, marchio Bergensis ab eo olim quæsierat an in suum episcopatum per januam ingressus esset et paulo post marchionis legatus in arce Cameracensi, Warluseus, eidem episcopo dixerat jam illi ceterisque episcopis prædicandam esse veritatem nec diutius catholicorum ignorantia abutendum[4]. Postea nunquam ad clementiam valde propensus fuit et quasi consilium in his verbis ei dedit Granvellanus, se non dubitare quin ad veniam generalem ille quam vehementissime impulerit[5]. Utique non unus e primis veniæ generalis auctoribus haberi potest Antonius Havetius.

1. FOPPENS, *Bibliotheca Belgica*, I, p. 77-78.

2. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 340.

3. *Ibid.*, I, p. 339.

4. *Ibid.*, p. 191-192.

5. *Ibid.*, III, p. 518.

Episcopus Audomaropolitanus, Gerardus, et Tornacensis, Gilbertus, submissius obscuriusque se gesserunt. Tornacensis, nobili loco natus, sapiens erat ac prudens : officio suo optime satisfecit et pravos sacerdotes ita dejecit, ut benigne acceptus omnibus videretur[1] : sed et negotia et pericula fugit, et narrat Morillonius eum, cum comes Hornanus ei institisset ut tumultuantem populum componeret, sapientiorem fuisse, quam ut illius nequam bestiæ fidei se committeret[2].

Ex illis autem episcopis, qui Cameracensis provinciæ vicini tantum erant, Yprensis Rythovius semper maxima erga Albanum libertate usus est, quod insignia in catholicam ecclesiam beneficia jam contulerat. Juxta Richardotum, eminebat inter Belgicos episcopos : cum, post Egmontii reditum, a Margarita concilium die 1 mensis junii 1565 convocatum est, Philippus dixerat « placere sibi ut duo aut tres episcopi adjungerentur et inter alios Yprensium sibi maxime idoneum huic muneri videri » [3]. Et, inquit Viglius, in illo concilio « facile primas tenebat, insigne Brabantiæ campestris ornamentum, cum ob magnam et variam eruditionem, tum propter singularem vitæ morumque castitatem[4] ». Quid de hæreticorum suppliciis senserit ex oratione, quam in synodo Mechliniensi habuit, apparet : « Ut non est gladio plantata religio, inquit, ita non solo gladio retineri potest ; sed incrementa convenire debent origini. Est quidem in defensionem religionis suo loco stringendus gladius ; sed utilitatem majorem adfert, si paterna institutio judicis severitatem antevertat, quod et rationi consentaneum est et experientia compertum[5] ».

Sibi semper consentaneus fuit. Cum morituro Egmontio

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 121.

2. *Ibid.* II, p. 304.

3. *Mém. de Viglius*, XXXVI.

4. *Ibid.*, XXXVII.

5. *Syn. Belg.* t. I, p. 185.

adfuturus esset, Rythovius Bruxellas arcessitus, Albanum obsecravit ut ejus misereretur aut saltem supplicium differret. Dux autem abnuit et « cruor percussi aspersit togam episcopi[1] ». Die 9 mensis junii, Regi Rythovius scripsit quomodo Egmontius supplicum subiisset, « coram ingenti multitudine hominum gementium et plorantium », eique Egmontii litteras tradidit et viduam liberosque commendavit[2].

Rythovius non Albano totum se dederat. Cum anno 1570 Albanus primæ synodo provinciali, Mechliniæ habitæ, interesse voluit, Rythovius, qui tunc, absente Granvellano, concilio præerat, suos collegas hortatus est ut, hoc novo et his regionibus insolito exemplo, synodi libertatem et auctoritatem contra canones non posse non restringi declararent. Albano Patres synodi nuntiaverunt ejus epistolam coram omnibus non recitatam esse, « ob perturbationes et offensiones quæ ex publica recitatione verisimiliter ortæ fuissent[3]. » Quam constanti etiam animo decimæ tributum et supplicia deprecatus est ! Duci ipsi scripsit, qui nullam illius epistolæ rationem habuit[4]. Tunc Bruxellas cum episcopo Gandavensi et Brugensi ivit, sed frustra ; itaque Regi primum cum iisdem[5], deinde iterum cum Richardoto et Lentaillero scripsit[6]. Rythovius igitur Hispanis suspectus factus est[7] ; sed eum clementiæ socium Maximilianus a Bergis habuit.

Juxta Richardotum et Rythovium, Cornelius Jansenius memoratu dignus est. Vix res publicas attigit : fuit præsertim episcopus doctrina et virtute insignis et, ut ait Morillonius, « simplex et rectus ». In Lovaniensi Academia

1. *Hist. Ep. Ypr.*, p. 121.
2. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 30.
3. *Syn. Belg.*, I, p. 69.
4. *Corresp de Philippe II*, t. II, p. 204.
5. *Ibid.*, p. 236.
6. *Ibid.*, p. 358.
7. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 445.

theologiam professus est: in concilio Tridentino diserte dixit et in Belgio magnam vel apud Regis ministros auctoritatem habuit. Itaque episcopatum Gandavensem ægre accepit[1]. Ubi autem episcopus fuit, « Gandavi residens nihil ita cordi habuit quam populum suum verbo et exemplo docere, irrumpentia hinc inde hæreticorum zizania evellere[2] ». Jansenius etiam commercium litterarum de rebus Belgicis frequentabat cum Granvellano, qui eum magni æstimabat. Itaque, quanquam a rebus publicis aberat, non sine auctoritate cum ceteris episcopis ipse veniam generalem ab Albano postulavit.

Complures alii viri in ecclesia, auctoritate aut doctrina aut virtute excellentes, cum ipsi ad clementiam essent propensi, ut clementiam prædicaret Maximilianum impulerunt; inter quos Vendvillius, qui tunc in Duacena Universitate profitebatur ac postea Tornacensis episcopus fuit, Maximiliano exhibuit libellum, quo hæresim collegiis seminariisque instituendis exstirpari posse declarabat[3], et cum Maximiliano aliisque præsulibus communicavit de fido legato in Hispaniam mittendo, qui Regi ostenderet quis rerum in Belgio status esset[4]. Item abbas Acquicinctinus Lentaillerus Maximiliano consilia nonnunquam dedit; Maximilianum hortabatur ut ipse prædicaret, quippe qui dicendi gratia, auctoritate ac doctrina pollere videretur. Cum archiepiscopum magni faceret, ei ad comitia Augustana proficiscenti juga equorum cum curru dedit[5]. Maximilianus autem monasterium libenter adibat, et anno 1565 audimus monachos lætatos esse quod archiepiscopus missam et vesperas in abbatia celebravisset[6].

Ex illis igitur ecclesiæ præsulibus nonnullos quidem

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 334.
2. Sanderus, *Flandria illustrata*, I, p. 218.
3. Possoz, *Vie de Vendeville*, p. 216.
4. *Id.*, p. 69.
5. François de Bar, *Op. cit.*, p. 141-145.
6. Escallier, *L'Abbaye d'Anchin*, p. 267.

clementiæ socios habuit Maximilianus, nullum autem auctorem. Ante omnes et nonnullis improbatus edictorum laxamentum petierat et primum frustra laboraverat ut idem ipsi peterent.

b. *An Granvellanus ?*

Non potuit Maximilianus, tanquam cardinalitius, non Granvellani consilia assumere, et supra vidimus jam Granvellanum a clementia non semper abhorruisse, qui eo sanius de Belgicis rebus judicabat, quod tunc a discordiis civilibus semotus erat.

Quotiens tamen Morillonius illam Maximiliani clementiam apud Granvellanum arguit! Nihil prætermittebat quod Maximilianum a Granvellano alienaret. Quod illi eo facilius erat quod maxima erat inter Morillonium et Granvellanum litterarum crebritas et Morillonio summam fiduciam Granvellanus habebat. Singulis dominicis diebus Granvellano quasi acta diurna Morillonius perferenda curabat[1] : multis utebatur viris, a quibus ipse multa et certa accipiebat. Raro in errorem inductus est. Etenim non temere cuilibet fidem habebat et sæpe quas ob causas alii errare viderentur disserebat[2]. Sæpe autem ipse præoccupato aut odio aut inimicitia animo, res veras ita mutavit ut fere fictæ viderentur. Lingua pessimus erat et, ut supra sæpe vidimus, præsertim in Maximilianum. Quod Maximilianus sibi succenseret et male de se scriberet aut diceret querebatur ; ita Maximilianum Granvellano scripsisse ut rursus cum ipso bellum suscepturum esse illum prævideret[3] ; et non ita multo post : Cameracensem in ipsum pejus animatum esse quam cum maxime, et dicere, Moril-

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 74.
2. *Ibid*, I, Præf. XL.
3. *Ibid*, I, p. 294 et 467. — *Papiers d'Etat*, VIII, p. 361-362.

lonio auctore, Granvellanum Romæ non operam sibi navare[1].

Non poterat ignorare Morillonius, ob litteras ad Granvellanum scriptas, Maximiliani inimicitiam se suscepisse. Cum res a Maximiliano acceptas Granvellano tradit, plerumque non certas dicit. Quanto cum gaudio audit cardinalem Cameracensi fidem non habuisse[2]! Maximiliani vitia auget, et linguæ intemperantiam (non tamen cum plura de nobilibus audire vult quam Maximilianus dicit) vel nimiam erga hæreticos aut seditiosos benignitatem. Et semper Granvellanum hortatur ne illi se attentum præbeat[3], qui velit ipsi inserviant alii, ipse autem nemini[4].

Per illas quasi cotidianas delationes non potuit Morillonius ita Maximilianum a Granvellani amicitia disjungere, ut Cameracensis fieret, tanquam aiebant, minus cardinalitius vel minorem apud Cameracensem Granvellanus jam auctoritatem haberet.

Supra vidimus quam officiose Maximilianum Granvellanus adjuverit ut episcopus Cameracensis deligeretur. Granvellani amicitiam non amittere Maximiliani intererat. Quotiens enim ad eum confugit! Ab eo petiit ut Romæ pro ipso ageret; tunc autem Granvellanus in ejus causam non magno studio incubuit, quia de eo non optimum Romæ judicium esset et eum cardinalis admonebat ne tam immodicus lingua esset; verbis enim suis curiam pontificalem magnopere eum offendisse. Ob hoc vitium, auctore Morillonio, Maximiliano aliquotiens diffisus est et apud eum profecto in magna fuit offensa, cum Regi scripsit milites tantum Hispanos in arce Cameracensi collocandos, qui Regi unice et Margaritæ obnoxii essent[5].

His de causis aliquotiens Maximilianus a Granvellano

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 427.

2. *Ibid.*, I, p. 305.

3. *Papiers d'État*, VIII, p. 429.

4. *Corresp. de Granvelle*, p. 427.

5. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 561.

alienatus est. Extremo anno 1566. Maximilianus illi scribere destitit, quod non miror, ait Morillonius, nam si Atrebatensi creditur, magnopere illi iratus est [1]. Sed paucis post diebus (die 31 mensis decembr. 1566) ad Granvellanum Morillonius addebat arbitrari se Cameracensem gavisurum esse si jam rursus scribere posset et iram molliturum esse [2]. Nec eum provida futuri fefellit opinio, nam Maximilianus Granvellano die 4 mensis januarii 1567 litteras misit [3].

Quanquam Morillonius contendebat Maximilianum proceribus conjunctiorem esse quam ut de Granvellano quoque bene mereretur, e cardinalitiorum factione fuit. Quam autem diligenter Morillonius Maximilianum quasi speculabatur, ut Granvellano deferret quidquid eum nobilium causa a Cameracensi distrahere posset! Non ita proceribus in odio esse Maximilianum, licet hujus rei rumorem ipse spargeret [4]; dicere se ægre ferre quod Granvellanum læderet, « quod, ait Morillo, mihi parum fit verisimile [5]. » Cum Maximilianus proceres Granvellano reconciliare cogitavisset, Morillonius statim cardinali diffidendum scripsit, eum enim cantilenam semper eamdem canere, cardinalis opera marchionem Bergensem et Montinium (qui tunc in Hispania quasi captivi erant) in Belgium revocandos; se autem dixisse non ita cum Granvellano paciscendum esse, qui rem tam indignam non acturus esset [6]. Tunc autem Morillonius memoriam amiserat epistolæ olim Granvellano scriptæ, qua demonstraverat quanto Granvellanum proceribus Maximilianus antehaberet; Cameracensis, aiebat, mihi dixit expedire, cum huc Rex venisset, te quoque

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 165.
2. *Ibid*, II, p. 198.
3. *Ibid*, II, p. 204.
4. *Papiers d'État*, VIII, p. 270.
5. *Ibid.*, VIII, p. 296.
6. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 553.

venire, ut proceribus ostendas non te ab eis, ut jactant, esse detrusum [1].

Attamen, et id maxime ad nostrum propositum spectat, Maximilianus et Granvellanus, quantum ex eorum litteris judicare licet, de rebus Belgicis consentiebant non per supplicia pacem restitui posse.

Paucæ tantum eorum epistolæ editæ sunt. Prima a Granvellano ad Maximilianum Romæ die 12 mensis martii 1566 scripta est [2]; in ea de omnibus fere rebus, quæ inter Maximilianum et Granvellanum tractari poterant, agitur. Granvellanus enim explicat quid pro Maximiliano (ille enim in Belgio cardinali absenti operam dare poterat et ob hanc causam non negligendus videbatur) Romæ fecerit; quo studio se ei adfuturum esse speret aut adversus canonicos Cameracenses, qui denique viderint cardinalem se non habituros adjutorem contra Maximilianum, aut adversus abbatem S. Sepulcri, cui ita aspere Granvellanus responderit ut eum non rursus viderit. Item Maximiliano consilia dat Granvellanus tanquam amicus, quæ fortasse ægre accepit Cameracensis, tametsi cardinalis quasi obliqua oratione utebatur et tantum querelas referebat, quas ipse Romæ de immodica Maximiliani lingua audierat. Quod de Maximiliano quidam sentirent non multum in res ejus conducere; itaque amantissime se orare eum, ut, si quibusdam fides adhibenda, caveret ubi et quid loqueretur; Romæ enim et alibi esse qui clarissime et a longinquo audirent. Id eum monebat Granvellanus, quod ob magna in eum merita et suam auctoritatem omnia ei dicere poterat; nec tantum ut Maximiliani rebus serviret, sed etiam ut Maximilianus, quem Granvellanus in Belgio fautorem habebat, prudentior factus ipsius absentis utilitati magis consuleret. Eædem litteræ Morillonium quasi redolent et quam Morillonio fidem Granvellanus haberet

1. *Papiers d'État*, IX, p. 652.

2. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 163-167.

ostendunt, cum propter Mechliniensis et Cameracensis ecclesiarum limitem aperte Granvellanus Maximilianum objurget. Denique ita de rebus Belgicis et Regis adventu disserit ut et Maximiliano confidere et cum eo consentire videatur. Et cum supra eum reprehenderet quod esset loquacior, tamen libere de rebus et hominibus in his litteris judicabat : Si cum Maximiliano esset, cum eo se quæsiturum quas ob causas periclitaretur respublica, quas non minus nosse sibi videretur quam quilibet alius, quippe qui tamdiu rebus Belgicis interfuisset.

Ut has litteras recte judicemus, non mirandum est in iis tam abunde de privatis rebus agi. Quod vitium non ad Granvellanum aut Maximilianum, sed ad tempus pertinet. Quanquam negat Granvellanus res suas sibi cordi esse et scripsit se de rebus suis non laborare, merito accusatus est quod nimium honores et pecuniam appeteret. Nihilominus de rebus publicis sane judicavisse plerumque videtur et in iisdem litteris et Granvellanus et Maximilianus publicas res a privatis omnino disjungere solent.

Granvellanus Maximiliano de Belgii quoque miseriis Romæ die 10 mensis augusti 1566 scripsit [1], et Granvellano Maximilianus die 20 ejusdem mensis, ut Regis adventum exposceret [2]; sed ex utriusque litteris pauca tantum verba supersunt.

Plura autem nos docent litteræ quas die 4 mensis octobris 1566 Granvellano Maximilianus scripsit [3]. De rebus suis vix mentionem facit et se suas miserias eo patientius laturum esse dicit, quod multo majores, id est publicæ, sint ferendæ. De hæreticorum turbis, de pravis sacerdotum moribus, de Tridentinis decretis non servatis abunde queritur. Ipse Granvellanum suæ anxietatis et desperationis quasi in conscientiam assumit, quod unum eum arbitratur

1. Groen van Prinsterer, *Op. cit.*, IX, p. 32.

2. Groen van Prinsterer, *Op. cit.*, p. 33. — *Corresp. de Granvelle*, I, p. 427.

3. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 1-4.

inducere posse et Regem ut in Belgium veniat et Pontificem ut clericos corrigat jubeatque Tridentina decreta religiosissime servari. Itaque inter eos quasi mutua fides erat, qui de tam gravibus rebus quid sentirent sincere aperirent et Granvellani litteræ, ut idem semper sentiret, Maximilianum impellebant.

His sero acceptis litteris, Granvellanus die 13 mensis decembris 1566 respondit [1], merito de tot calamitatibus Maximilianum queri, et, ut reipublicæ peritum decet, quas ob causas res ita turbentur edisserit. Tumultus crimini dat ministris, quos proximis annis res imperitissime gessisse arguit. Itaque non severitatem in hæreticos seditiososque laudat. Et quanquam auctoribus proceribus a Rege revocatus erat, arbitratur res nonnihil restitutas esse, tantummodo quod Orangius, Egmontius Mansfeldiusque recte se gesserint. Sperat Regem, si veniat, cuncta tunc etiam leniter et benevole reparaturum esse. Quantum illæ voces « leniter et benevole » Maximiliano placebant! quod ejus clementiæ incitamentum afferebant! Itaque, his acceptis litteris, Maximilianus statim Granvellano respondit [2] sibi quoque opportunum videri ut Rex in Belgium quam celerrime adveniret : seditiosos enim, si quinque aut sex mensium eis otium relinqueretur, res ita molituros esse ut quæ nulla unquam alia gens passa esset Belgae essent passuri. — Et hæc scripsit Maximilianus tumultibus, quibus Castellum Cameracense et Valentianæ perturbatæ erant, territus.

Non aliæ sunt editæ Maximiliani ad Granvellanum aut Granvellani ad Maximilianum litteræ, præter de Regis adventu Maximiliani epistolium (die 31 mensis Maii 1567) [3]. Non tamen litterarum commercio destiterunt et per litteras nobis ignotas Granvellanus, qui apud alios sæpe clemen-

1. *Corresp. de Gradvelle*, II, p. 148-150.

2. *Ibid.*, II, p. 204-205.

3. GROEN VAN PRINSTERER, *Op. cit.*, IX, p. 47-48.

tiam laudavit, Maximilianum non impellere non potuit ut Regis ministros a suppliciis deterreret. Etenim ut a Belgio discessit, Granvellanus iis, qui quasi ipsum expulerant, succensuisse non videtur. Sæpe optima consilia, ut ex diuturno rerum hominumque usu, Philippo misit, cum de Belgicis rebus, quanquam absens, prudenter et dilucide judicaret. Anno præsertim 1566, cum iconomachi sævirent, quid consilii et prudentiæ quisque haberet, videre licet. In Hispania, omnes severe in seditiosos animadvertendum esse conclamaverunt, et Rex tum litteras scripsit, quas Belgis Margarita exhibuisse non videtur, ut seditiosos non modo impune, sed etiam summo cum honore occidere liceret, et quasi sacrum bellum adversus hæreticos Hispani sacerdotes prædicaverunt. Tunc contra Granvellanus scripsit sibi quidquid lenitate et clementia impetrari posset optimum videri; multis ignoscendum, qui peccavissent tantum quod in errorem inducti essent; beneficia, quæ ipsi aut majores dedissent, pluris æstimanda quam deceptorum hominum errores, eo magis quod se ipsum infirmaret quisquis occideret suos [1].

Neque natura neque voluntate sævus erat, nec unquam, sicut aiunt nonnulli, Regi scripsit eum non Belgio imperaturum esse, nisi caput sex proceribus præcidi juberet. Proceres tantum dividere volebat, ut fœdus, quod in se ipsum fecissent, dissolveret: aliis favendum, alios honoribus dejiciendos, aliis munera quædam foris mandanda. Nec Granvellanus auctor fuit ut Egmontius et Hornanus deprehenderentur: immo, cum deprehensos audissset, ad Philippum Regem pro Egmontio egit: quem Regi tantum et Belgio operam præbere voluisse dixit, officioque suo ob id tantum defuisse quod ab aliis in errorem inductus esset, et memoriam beneficiorum, quæ Egmontius in Regem contulisset, repetendam censebat [2]. Anno 1579, Philippum Granvella-

1. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. LIII et LIV. (die 15 mensis Septembris 1566). Cf. t. I, p. CLXXI.

2 *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 594 et 599.

nus hortatus est, ut Orangii sanguinem addiceret[1]; eo autem tempore Orangius et Philippo et Granvellano proditor regis esse videbatur, quippe cujus regni partem concitavisset et ab auctoritate distraxisset. Sed annis 1566 et 1567 Regi suadet ut priora obliviscatur, Orangium sibi laudibus extollendo reconciliet, Genuam advocet, suis satellitibus præficiat, cum eo perpendat quomodo in Belgio res componi possint, denique ei timorem eripiat[2].

Albanum in Belgium mitti primum probavit. Item in epistola Regi die 12 mensis novembris 1567 scripta summam Albani prudentiam et solertiam laudat. Sed non semper in litteris ad Regem scriptis deprehendere licet quid Granvellanus vere senserit. Reipublicæ quidem peritus fuit, sed etiam sæpius Regis adulator. Cum Philippo non assentiretur, timide tamen ei adversabatur, ne offenderet. Itaque e Granvellani litteris verius quid Philippus sentiret quam quid Granvellanus dijudicari potest : nec mirum est aliquando Granvellanum a se ipso dissidere videri. Ita primum anno 1567 Regem hortatur ut solita tantum custodia comitatus in Belgium eat; deinde eidem assentitur multas eo copias mittere volenti et priorem sententiam defendit, quod antea timeret ne Rex tot copias alere non posset; et Philippum addit manu militari res suas facilius restituturum[3]. Attamen etiamsi Regis sententiæ obsistere non audet, pro nonnullis deprecatur : cum Albanus Bruxellas, cunctis paventibus et afflictis, ingressus est, rempublicam in tranquillum redigi posse cardinalis rursus scribit, si Rex in nocentissimos sæviat, aliis vero ignoscat[4].

Sed potius in Belgii instituta et jura quam in Belgas ipsos invadendum et per severa edicta hæresi seditionique potius occurrendum quam in hæreticos et seditiosos ani-

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. CLXXXI-CLXXXII.

2. *Ibid.*, t. II, p. LV-LVI.

3. *Ibid.*, t. I, p. 518 et 560.

4. *Ibid.*, t. I, p. 575 (die 11 mens. Oct. 1567).

madvertendum Granvellanus censebat. Post anni 1566 tumultus, ut Regis auctoritas in Belgio stabiliretur, contra Belgarum jura Regi persuasit ut munitis castellis collocatisque hispanis militibus, Belgii præfectorum potestatem imminueret, Caroli V edicta restitueret et quidquid per vim Belgæ consecuti essent, rescinderet.

Sed in aliis litteris non ad Regem scriptis quid de rebus publicis sentiret omnino profitebatur, quasi non dubitaret quin mox in Belgium esset rediturus ; et quid, iterum Belgio præfectus, acturus sit edisserit [1]. Ita clementiam apud suos in Belgio amicos laudare non desinit. Consiliario Johanni Blaserio, qui in Concilio Turbarum sedebat, et canonico Antonio Contault scripsit jam satis pœnarum exactum esse et melius fuisse statim post victoriam nocentissimum quemque sine laxamento castigari et multitudini ignosci [2]. Et mox non modo nonnullis ignoscendum censet, sed omnibus per gratiam veniamque generalem, quam jamdudum per litteras suaserit ac libentissime ipse in Belgio suasisset, si ibi fuisset [3]. Vehementius optare se quam qui maxime publicæ utilitatis studiosus sit, ut, omissa severitate qua in nonnullos ad reliquorum terrorem animadversum sit, gratia generali et clementia Hispani utantur, quam semper et ante et post Albani adventum laudaverit [4].

Non igitur Granvellanus Maximilianum a clementia deterruit, et ambo de rebus Belgii publicis, de nocentibus puniendis aut venia tribuenda consentiebant. Ut Granvellanus primum a nocentissimis pœnam repetendam esse censuit, deinde nonnullis ignoscendum, omnibus denique, ita Maximilianus in Cameracesio pœna nocentissimos multavit, nonnullis ignovit et, ante ceteros episcopos et Philippi ministros, pro omnibus Belgis veniam generalem laudavit.

1. *Corresp. de Granvelle*, I, Præf. XLIV.
2. *Ibid.*, III, p. 16-17 et 186.
3. *Ibid.* III, p. 517-518.
4. *Ibid.* III, p. 518.

Is fuit Granvellani et Maximiliani de venia consensus, u', cum eam promulgare anno 1570 statuit, Philippus utrumque ad pontificalem veniæ bullam ad Belgas ferendam summo Pontifici commendaverit.

c. *An Nobiles?*

Maximilianus amicos quasi in utraque parte habuit. Quærendum est num clementiæ auctor fuerit quod proceribus familiariter uteretur, et minus auctoritatis ad veniam deposcendam habuerit, quod pro eisdem deposceret.

Nonnulli et maxime Morillonius contendebant archiepiscopum Cameracensem, marchione Bergensi et Montinio, qui tunc in Hispania pro se ipsis timerent, auctoribus, et Pontifici, clericorum nomine, et per Pontificem Regi clementiam suadere voluisse [1]. Cum episcoporum concilium, ut edicta mitigarentur, advocare Maximiliano in animo esset, mirabatur Morillonius quomodo ad id a marchione Bergensi, Orangio Egmontioque adductus esset [2]. Et cum proceres dicerent præsules quosdam a se ipsis stare, Morillonio his verbis Maximiliani nomen suggerere videbantur [3].

Re autem vera nunc pro proceribus, nunc contra eos Maximilianus stare videbatur. Ob suum genus proceribus familiariter usus est ; cum autem tantum per nothos a Glymis originem haberet, eum proceres non magni faciebant. Attamen cum eis ita conversabatur ut catholicos et suos inimicos offenderet : quod Morillonius in litteris non prætermittebat: fuisse cum Hornano Orangium, marchionem Bergensem, Montinium, vicecomitem Gandavensem archiepiscopumque Cameracensem a nona hora mane usque ad tertiam horam post meridiem [4]. Tunc sane proceres, pro-

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 245.
2. *Ibid.* I, p. 116-117.
3. *Ibid.* I, p. 202-203.
4. *Papiers d'État*, VIII, p. 296.

fecto Granvellano, rerum potiti erant et cum a multis aliis, tum etiam a Maximiliano ambiti, apud Margaritam, quæ totam se eis dederat, maximam habebant auctoritatem [1]. Margarita quidem parumper proceribus adulata est, quippe quibus adjuvantibus Granvellani servitutem excussisset. Maximilianus autem, Granvellani amicus, cum conventiculis dominorum interfuisset, profitetur se injurias, quibus Granvellanum persequantur, ægre ferre, « quod, ait injuriose Morillonius, mihi parum fit verisimile [2]. »

Conciliato sibi Margaritæ animo, domini Regem etiam sibi conciliare voluerunt. Jamdudum dominum genere et meritis insignem in Hispaniam mittere statuerant, qui Regi exponeret quæ quererentur et anteactarum rerum rationem probaret. Etsi Margarita et Philippus ab eo consilio illos deterrere tentarunt, concilium Status Egmontio mandavit ut Regi explicaret quomodo res in Belgio se haberent et restitui possent. Primum Cameraci Egmontius constitit, magna amicorum manu comitatus, Henrico Brederodio, Philippo Marnixo Aldegundio, Norcarmio, Petro Ernesto Mansfeldio, Antonio Lalinio, comite Hochstratano, Florentio Pallantio, comite Culemburgio, comite de Salm et Warluseo. Suo sanguine libellum die 26 mensis januarii 1565 subscribunt, quo jurant, si quid Egmontio acciderit, pro reipublicæ Belgarumque salute profecto, a Granvellano iisve qui Granvellani socii haberentur, pœnas se repetituros [3].

Egmontius aliquamdiu Cameraci diploma, quod a Galliæ rege petierat, exspectavit. Eum ejusque comites Maximilianus convenit et quæ agere destinavissent per eos edoctus, legatum ad Regem mitti probavit, cum ipse arbitraretur Regem ignorare quomodo vere res in Belgio se haberent, eumque in Belgium ad res inspiciendas vocaret.

1. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* t. I.

2. *Papiers d'Etat*, VIII, p. 296.

3. Groen, I, p. 345 — Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* I, p. 221.

Proceres autem, qui circum Egmontium erant, quid de rebus publicis vere sentiret Maximilianus non perspexerant. Eum Granvellani quem detruserant amicum esse ejusdemque gratia episcopum Cameracensem delectum esse tantum meminerant. Itaque tam graviter Maximilianum offenderunt, ut nemini dubium jam fuerit dominis Maximilianum contemptui esse non modo quod a nothis originem duceret, sed etiam quod archiepiscopus esset : unde tunc etiam patuit nobiles illos mox ad rebellandum contra ecclesiam catholicam Regemque Hispaniæ inclinaturos esse.

Itaque de contumelia, quam tunc passus est Maximilianus, multus in toto Belgio sermo fuit : non modo rerum Belgicarum scriptores plerique, vel qui nullam aliam Maximiliani mentionem fecerunt, injuriam a Maximiliano acceptam commemorant[1], sed etiam multi eorum, qui tunc publicis rebus intererant, in litteris rem narraverunt : Pero Lopesius de illa injuria Granvellano bis scripsit[2], bis etiam Morillonius[3] et ipse Granvellanus Polweilero[4] et Viglio[5].

Rem ita refert Van der Haer[6] : « Cenabant apud Warluseum Archiepiscopus, Egmondanus, ceterique honestissimi ordinis homines complures. Egmondanus archiepiscopum ejus urbis principem officiose observabat, ceterorum omnium non par studium : nonnulli sive quo vetere privato odio, sive (qui est pessimorum hominum mos) ut indecore sese archiepiscopus haberet, multis atque immanibus cyathis obruere archiepiscopum conantur : inde incalescente cena galerum cum archiepiscopi pileo com-

1. Van der Haer, *De initiis tumultuum Belgii*, p. 189. — Pontus Payen, *Mémoires*, t. I, p. 73, sqq. — Namèche, *Histoire de Philippe II*, t. I, p. 380. sqq. — Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* p. 221.

2. *Papiers d'État*, VIII, p. 684-688.

3. *Ibid.* VIII, p. 671 et IX, p. 16-17.

4. *Ibid.* IX, p. 62.

5. *Ibid.* IX, p, 82.

6. Van der Haer, p. 189.

mutant : atque una cum cyatho per convivas ex ordine transmittunt. Non fert eam indignitatem Maximilianus a Meloduno, vicecomes Gandavensis Atrebati præfectus, surgensque de mensa delatum ad se ex ordine pileum archiepiscopo restituit. Hinc cibis sublatis postulat vastum quod poculum certus qui conviva, archiepiscopoque id propinat. Respondet archiepiscopus, paruisse se convivarum voluntati dum cenaretur, cena peracta non esse sese bibiturum ; urget alter, negat constantius archiepiscopus, ibi tum excandescens recusatus : Sat te, inquit, novimus, non est cur id te mihi recusare oporteat. Omnino, respondet archiepiscopus, is ego sum qui cognosci me cupiam, vir honestus, iis licet frementibus indignantibusque, qui hoc sunt mihi negaturi. Ibi tum offensus conviva, arreptam argenteam pelvim (quæ manibus abluendis mensæ fuerat imposita) injicere archiepiscopo in caput conatur : retinet pelvim Egmondanus ; quod dum facit, en alter conviva pugno in frontem archiepiscopi eliso, pileum de capite deturbat. Archiepiscopus tueri armis se non poterat : Egmondanus compellatus ab archiepiscopo ingentem vultu mærorem præ se ferebat, verum quid facere se oporteat, invenire se negat : discedit itaque, vicecomite Norcarmioque deducentibus, archiepiscopus, scripturumque se res eas Regi palam profitetur. »

Fortasse Van der Haer rem verissime, utpote qui viginti tantum post annis scriberet, rettulit : nempe anno 1566 alius alio modo narravit et tum qui non adfuerant se ignorare quomodo res vere fuisset profitebantur. Tam varie rem narratam esse dicebat Lopesius, ut nesciret cui crederet[1]. Contendit tamen Maximilianum ipsum tantæ injuriæ fere causam fuisse : cum Brederodius, secundum Lopesium, archiepiscopum objurgavisset, quod quatuor millia florenorum voravisset quæ ejus fratri ad episcopa-

1. *Papiers d'État*, VIII, p. 684.

tum obtinendum pollicitus esset, et addidisset non decere Egmontium proficisci, virum Belgio utilissimum, quod, si quid ei accidisset, nemo in ejus locum succedere posset, per ludibrium Cameracensis respondit adfuturum Egmontium alterum. Tunc Brederodius ita stomachatus est ut, impotens animi, gallice et cum blasphemiis exclamaverit : « Comment faut-il que nous supportions de pareilles choses de ce prêtre ? » Culemburgius statim Maximiliano : Verius de eo istud dicendum : nam, eo mortuo, facillime quingentos inveniri posse ei pares, qui in sede Cameracensi ei succederent. Lopesio eodem auctore, Maximilianus etiam Brederodio propinavit, ut altercationem incideret ; sed Brederodius respuit et Maximiliano instanti in caput pelvim injecit. His autem fidem habere non licet, cum Lopesius tantum a Culemburgio accepta referat, quem Maximiliano infestum vidimus : Lopesius ipse notat Culemburgium quædam, propter Brederodium, prætermisisse et, in litteris die 24 mensis martii scriptis, Hochstratanum vere injuriæ auctorem fuisse dicit.

Illius injuriæ ut famam comprimeret Egmontius omni ope nisus est. Postero die solus cum archiepiscopo cenavit eumque sedare voluit ; vespere Brederodius ipse ceterique cum eodem cenaverunt. Ante cenam, Cameracensis, Egmontius, Hochstratanus, Culemburgius Brederodiusque in conclave seclusum ierunt ; circiter unam horam de gratiæ reconciliatione collocuti, cenaverunt ; post semihoram a mensa surrexerunt et unusquisque domum suam reversus est[1].

Ea profecto condicione in gratiam reconciliati sunt, ut Maximilianus taceret. Morillonio præses Mechliniensis (Johannes a Bergis) scripsit verba tantum importuna fuisse, de quibus se ad Margaritam Brederodius recusavit ; quæ respondit lætari se quod verba tantum fuissent, sed melius fuisse nihil dici[2].

1. *Papiers d'État*, VIII, p. 688.
2. *Ibid.*, VIII, p. 672.

Non mirum est si Morillonius Maximilianum vituperavit, quod non virum se præstiterit : cum esset domi suæ et dominus civitatis quæ Imperii esset et ipse illius Imperii princeps, nobilium istorum injurias, quæ viderentur non verba tantum fuisse, satis, adjuvantibus oppidanis, vindicare eum potuisse[1] ; cum autem se ita vexari passus esset, Maximilianum non animadvertisse se « locum fecisse novis injuriis et se suis contemptibilem reddidisse[2]. »

Non æquo animo id Granvellanus audivit et propter eos qui fecerant et propter malum exemplum : Unde animadvertebat relinqui omnia inulta et in cunctis conniveri ; sed non ita rebus periclitantibus succurri posse[3].

Maximilianus autem triduo febrim habuit et cunctis suis muneribus abdicare voluit. Sed, quanquam Egmontio iratus erat quod injuriæ non intercessisset[4], cum proceribus etiam postea conversatus est. Audito Egmontium rediisse, nobiles Bruxellas concurrerunt ; et quarto post injuriam acceptam mense, ipse Maximilianus non modo cum Hornano, duce Areschoti, Norcarmio, Johanne Lignio, Montinioque Bruxellis conversatur, sed etiam cum Hochstratano, qui Lopesio ipsi injuriæ auctor fuisse videbatur, et comite Mansfeldio, cujus filii episcopum graviter offenderant[5].

Non tamen Maximilianus nobilium sectator fuit. Ea fuit illius erga nobiles libertas, ut Morillonius ipse scripserit, cum ii quod de ipsis diceret Cameracensis non audire non possent, non mirari se si male in eum essent animati [6].

De nobilibus autem Maximilianus secum discordare videtur ; eos enim hæreticos et seditiosos vehementer increpat ; sed, cum in eos præter æquum et bonum sæ-

1. *Papiers d'État*, VIII, p. 672.
2. *Ibid.* IX, p. 17.
3. *Ibid.* IX, p. 83.
4. *Ibid.* IX, p. 16.
5. *Ibid.* IX, p. 222.
6. *Ibid.* IX, p. 651.

vitur, eorum patrocinium suscipit. Etenim cum nihil antiquius habeat quam ecclesiam catholicam servari, ipsi Morillonio, quanquam infesto, hæreticos nobiles quasi indicat ; illi enim narravit nobiles in Artesia ab Egmontio petere non dubitavisse, ut prædicationes habere sibi liceret ; se autem timere ne cum Flandriæ et Galliæ hæreticis conspirent et in nuptiis Antoniæ celebratis duodecim nobiles vidisse, qui gratulationibus et inusitatis signis ipsi in suspicionem cecidissent[1]. Eidem rettulit qua vi monasterium Camberonense Egmontii signifer vastavisset ; sed quærenti quomodo domini qui rempublicam gererent ista tolerarent, respondit eum intelligere non posse quid tumesceret ; frustra Morillonius plura sciscitatus est ; Maximilianus sermonem alio transtulit[2].

Etenim Maximilianus de hæreticis proceribus plura Morillonio dicere non vult, quippe quem non ignoret sævitiam probare. Libentius ei exponit nobiles, qui edicta mitigari velint, ea tantum censere quasi alio vestitu induenda, ut eos qui non catholice se gerant non tanquam hæreticos, sed tanquam seditiosos et contumaces judices perduellionis judicent[3]. Eos igitur vere catholicos describit Maximilianus qui reipsa cum Rege ut hæresim exstirpent, non eodem modo sed fortasse certiore, elaborent. Nonne autem Maximilianus mendacio sibi blandiebatur? Sed fortasse non sincerus fuit et tantum pro proceribus, non ignorans quid illi sentirent, causam dicebat. Morillonius autem intelligebat quo hæc spectaret oratio et hugonotos se catholicos dicere, magistratibus regibusque parendum profiteri et submisse loqui, donec essent valentiores[4].

Sed Maximilianus a nobilibus omnino dissidet contra Regem vi rebellantibus : nam semper in Regis ejusque

1. *Papiers d'État*, IX, p. 652.
2. *Ibid.* IX, p. 653.
3. *Ibid.* IX, p. 652.
4. *Ibid.*

ministrorum fide mansit. Cum Orangio conversatus, rebellanti eidem adversatur et supra vidimus quæ gubernatrici Albanoque de Gallis hugonotis cum Orangio fœderatis indicia mitteret. Non autem eos qui non Regi bellum intulerunt deserit. Sub initium anni 1567, cum Orangius, etiamtum incertus, Brederodium et Hochstratanum mox secuturus videretur, et Egmontium impelleret ut cum iis contra Regem conjungeretur si ille in Belgium cum militibus veniret[1], Egmontius ei respondit se, si esset cur de rege quereretur, a Belgio recessurum, nunquam autem bellum Regi illaturum, et eos qui non ita agerent hostes habiturum; et hortatus est ut diligentissime nobiles perpenderent quid sibi agendum esset, cum res non modo ad Regem, sed et ad eorum famam spectaret[2]. Alava Regi, die 20 mensis februarii 1567, scripsit Egmontium in ejus fide omnino stare[3]. Maximilianus ergo semper cum Egmontio conversatus est : die 20 mensis januarii 1567, id est cum Orangius iterum Egmontium sollicitaret, Morillonius Granvellano nuntiavit Egmontium Atrebates profectum esse, quo Cameracensis eum aditurus esset[4]. Cum Egmontius supplicium solvisset, desiderium Maximilianus non clam tulit. Doluit et quod Egmontio utebatur et quod verius noverat quam qui maxime eum ab ecclesia catholica, non a Rege secessisse. Etenim Egmontius magna semper cum libertate quid de publicis rebus et religione sentiret apud Maximilianum edisseruerat; sed nihil unquam archiepiscopus vulgaverat et tantum episcopus Chalcedoniorum, Maximiliani suffraganeus, Morillonio rettulit quid coram archiepiscopo Egmontius dixisset. Statim id ita Granvellano Morillonius tradidit : Olim Egmontium a Maximiliano quæsiisse quidni hic haberi posset Augustana confessio. Cum id magno et provinciæ

1. Groen van Prinsterer, *Op. cit.* t. II, p. 468.

2. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 510.

3. *Archives Nationales*, K, 1507.

4. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 230.

et religioni detrimento fore responsum fuisset, iterum interrogavisse Egmontium numquis adeo enormis et ab sancta religione nostra abhorrens inesset articulus. At cum unum et alterum rettulisset ille, supervenisset autem quispiam sermonemque interrupisset, curavisse Comitem, prima occasione data, archiepiscopum iterum ut adiret admoneretque et quantulam in Belgium curam Rex conferret et quali modo Granvellanus rem publicam gessisset ; proinde operæ pretium esse optimum quemque remedio adhibendo manum admovere ; eumque etiam atque etiam ursisse ut ad id aurem animumque adverteret, qui tantæ esset auctoritatis. Cum autem respondisset ille se, si sibi significaretur quatenus posset ipse rei publicæ prodesse, totam in id operam, salvo tamen officio suo, impensurum fore, noluisse unquam Egmontium quicquam aut denuntiare aut expromere singulatim.

Hoc autem Maximiliano decori est : ut catholicum sacerdotem decet, et hæretico adversatus et magna cum modestia et posita contentione fidem ei facere tentat ; non minus quam Egmontius publicæ utilitatis studiosus est, salvo autem suo officio[1].

Non omnino immerito contendit Morillonius nonnunquam Maximilianum a nobilibus impulsum esse, nam cum iis sæpius conversatus est, quam ut minime apud eum valerent. Itaque eorum querimonias ipse audivit, quibus ita affectus est, ut jam die 28 mensis februarii 1564 Regi ipsi scriberet nobilibus satisfaciendum esse, eo enim tantum modo et pacem et catholicam fidem restitui posse[2]. Iniquo animo illos dominos, quibus ipse utebatur, multatos vidit et misericordia captus est, cum pœna crimine major illi videretur, ideoque quo severius in dominos Albanus sæviebat, eo vehementius ab illo Maximilianus eorum vitam deprecabatur.

1. *Corr. de Granvelle*, III, p. 323-324.

2 Cf. Forneron , *Hist. de Philippe II*, t. II, p, 56.

d. *An utique Marchio Bergensis ?*

Marchione Bergensi, uno ex illis nobilibus, Maximilianus familiarissime usus est, per quem in eorum societatem maxime allectus est; is fuit Maximiliano propinquus qui, cum apud Regem ejusque ministros offendisset, sua amicitia apud eosdem episcopum ipsum infamavit.

Johannes a Glymis, marchio Bergensis, natu maximus erat e liberis Antonii a Glymis, domini Bergarum ad Zomam, creati marchionis a Bergis per litteras Caroli V (1533) et Jacobæ Croiæ, filiæ Henrici, domini Areschoti [1]. Omnibus prope honoribus functus est, apud Carolum Cæsarem quam apud filium gratior. E cubiculo Caroli V fuit, adscriptus inter equites aurei Velleris, Hannoniæ præfectus, venationis supremus in Brabantia et Flandria, etc. Didicerat apud jurisconsultum Carolum Molinæum, qui ipse calvinianus et postea in carcerem conjectus et in exsilium relegatus, ita eum instituerat, ut ipse semper libertatis marchio Bergensis studiosus fuerit. Morum gravitate, prudentia et catholicæ religionis ac patriæ studio conspicuus erat[2]. Ita Philippo regi eum Margarita commendaverat: Eam esse illius prudentiam, ut de republica bene mereri posset; et licet nihil a rege jam profecturo consecutus esset, tamen gubernatrici diligentissime eum operam dedisse quotiescumque munus aliquod ab eo poposcisset [3].

Marchio Bergensis, Hannoniæ arcique Cameracensi præfectus, haud procul a Maximiliano abfuit eoque facilius cum eo consensit quod erant non fratres, ut quidam falso crediderunt [4], sed eodem genere nati.

Statim marchio in magnas difficultates incurrit et in

1. Goethals, *Dictionnaire généalogique*, Glymes.
2. *Papiers d'État*, VI, p. 211, not. 2.
3. *Corr. de Marguerite d'Autriche*, I, p. 148.
4. Cf. Weiss, *Papiers d'État*, VI, p. 211, not. 1.

componendis hæreticorum tumultibus ita segnis fuit, ut in Hispanorum suspicionem et ceciderit et sua amicitia Maximilianum ipsum nonnunquam adduxerit. Frustra Margarita et Philippus non semel ei scripserunt ut sæviret et sæpius Valentianis maneret, cum maxime illi civitati tunc attendendum esset [1]. Marchio autem a sua provincia sæpissime aberat et Leodium ad fratrem, ejus urbis antistitem, ibat, ut de illius graviter ægrotantis abdicatione cum capitulo ageret. A Margarita propterea reprehensus tumultuum causam esse clericos respondebat ipsumque Maximilianum, cujus sacerdotes indocti pravique essent. Margaritæ etiam quærenti quomodo res restitui possent, non sanguinem faciendo, sed prudentius et ab ipso velut fonte malum repetendo rescripsit. Instanti non patefecit quid optimum esse censeret; arcem tantum Valentianis muniendam professus est, quæ Margarita tunc, Rege absente, fieri non posse videbatur [2]. Attamen marchio duos Calviniani Evangelii bucinatores vinculis coercuit; sed dilato, contra quam a Margarita jussus erat, eorum supplicio, instanti gubernatrici respondit non esse muneris neque ingenii sui plectendis hæreticis operam dare. Tandem eos pœnas dare jussit et tunc Regi Granvellanus scripsit ita marchionem Bergensem objurgatum esse, ut tandem clam jusserit duos hæreticos Valentianis comburi; patere ergo turbas facile suppliciis componi posse; sed marchione illi provinciæ præfecto, nihil sine ejus consensu et opera fieri posse [3].

Jam die 31 mensis martii 1563, Granvellanus eum cum Orangio, Hornano, Egmontio Montinioque in monasterio la Forest juxta Bruxellas occulte nec sine suspicione congressum esse evulgaverat; quos tamen melioris esse voluntatis quam vulgo dicebantur, tunc etiam arbitrabatur [4].

1. *Corresp. de Marguerite d'Autriche*, II, p. 437.

2. *Ibid.* II, p. 516.

3. *Papiers d'État*, VII, p. 69.

4. *Ibid.* VII, p. 70.

Marchio Bergensis Granvellano pertinacissime infensus fuisse videtur. Itaque ægre ferebat Morillonius Maximilianum cum eo conjunctissimum esse, et in litteris ad Granvellanum scriptis nihil quod ad occultas marchionis artes ejusque cum Maximiliano amicitiam spectaret prætermittebat. Marchio enim in Granvellanum conspiravit et Margarita, cum cardinalis jugum exuere vellet, marchioni, quem rei totius auctorem ducemque Granvellanus dicebat, simulque Orangio proposuit ut reipublicæ gubernaculum capesserent. Armenterium quoque, veterem aulicum a secretis, in Hispaniam misit, qui Regi ostenderet, si Granvellanus, invitis dominis, rempublicam diutius administraret, totum Belgium rebellaturum esse. Huic in Belgium reduci Maximilianus profitetur, nisi Rex dominis satisfaciat, ægre ecclesiam catholicam periculis vindicari posse, dum marchio Bergensis, qui eumdem Armenterium Valentianis cum Hornano, Egmontio Montinioque exspectabat, eum Granvellani revocationem sibi nuntiaturum esse sperabat [1]. Post Granvellani discessum, marchio fuit inter proceres, Orangium, Marchionem Egmontiumque, quos Margarita cotidie mensæ suæ adhibebat [2].

Maximilianus quidem haud sine molestia ferebat marchionem dimissionis Granvellani participem fuisse: eum tamen postea vel excusare vel purgare enisus est: Richardoto enim anno 1565 narravit, si marchio se non interposuisset, Granvellanum proceres mulcaturos fuisse [3].

Propter suum officium sæpe cum archiepiscopo marchio Cameraci conversatus est. Mense decembri 1565, cum Maximilianus ægrotans et mœstissimus neminem ad se intromitti vellet, tamen marchionem solebat admittere, et stomachosius tunc Morillonius Granvellano scripsit sæpe cum marchione Bergensi esse Maximilianum [4] et non diem

1. Cf. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.* I, p. 195.
2. *Ibid.* I, p. 198.
3. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 59-60.
4. *Ibid.* I, p. 47.

prætermisisse quin cum marchione plures horas fuisset [1]. Item, ut Maximilianum infamaret, Granvellanum diligentissime monuit ambos iisdem de Inquisitione verbis uti: Maximilianum et marchionem contendere hinc quingentos dominos et mercatores profecturos esse et Belgium vastum et vacuum fore [2]. Ut etiam ostenderet quomodo ambo consentirent, rettulit quem uterque cum Anglicano legato sermonem habuerit : legatum enim dixisse audierat marchionem ita de religione loqui ut videretur eam curæ magis habere quam ipsi Inquisitores, se autem novisse eum aliter sentire ac diceret; sibi suspectum fuisse quod archiepiscopus idem dixisset : id enim cum marchione compositum videri ut sibi plura elicerent [3]. Præsertim sub finem anni 1565, nonnulli illam amicitiam ægre ferebant, quod jam marchio suspectum colloquium cum Ludovico Nassavio Aquis Luviensibus fecisset, quod in nuptiis Antoniæ celebratis conversatus esset cum nobilibus, quos ipse Maximilianus inusitatis signis usos esse dicit [4], quod denique nobilium fœderi nomen suum subscripsisset.

Ita de rebus publicis cum marchione Maximilianus consentiebat, ut, cum marchio a Philippi ministris se magis averteret, tum Maximilianus magis etiam concordiam clementiamque laudaret. Tunc, acceptis Philippi Regis litteris Segoviæ scriptis, marchio a suis muneribus abdicare se voluit, ne in hæreticos decreta ipse exsequeretur: ejus autem abdicationem Margarita abnuit (die 21 mensis januarii 1566) et ab eo petiit ut sua munera servaret, donec in Belgium Rex veniret [5]. Sed, quemadmodum marchio tunc Bredam ad colloquium cum Nicolao Hame, præcipuo conjurationis auctore, Hornano, Megano, Hochstratano, Culemburgio, Montinio, nobilissimisque Belgii viris con-

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 64.
2. *Ibid.*
3. *Ibid.* I, p. 45-46.
4. *Papiers d'État*, IX, p. 652.
5. *Corr. de Philippe II*, t. I, p. 394 et t. II, p. 532.

gressus est, et cum majore eorumdem parte conventui Hochstratano interfuit, ita eodem tempore Maximilianus operam dabat, ut episcoporum conventum ad edicta mitiganda haberet [1].

Cum decretum fuisset marchionem et Montinium in Hispaniam mitti, Maximilianus valde exoptavit ut edictorum laxamentum a Rege impetrarent. Quos ad Regem missos prope laudabat ipse Granvellanus ; eos enim verius quam qui maxime regem monere posse quomodo res in Belgio se haberent, cum ipsi rerum illarum participes fuissent [2]. Ambo autem Regi ingrati erant et non modo nihil a Philippo consecuti sunt, sed ne in patriam quidem redire potuerunt. In Hispania enim quasi captivi habiti sunt, quanquam petita sæpius venia in Belgium redeundi. Maximilianus quod ita in Hispania marchio retineretur dolebat et, si Morillonio creditur, declaravisse dicebatur a Rege marchionem, Granvellani gratia, coerceri [3]. Itaque cum Maximilianus episcopis Belgicis a Pontifice petendum censuit, ut Regi clementiam suaderet, Morillonius illum ad id a marchione Bergensi et Montinio, qui de se ipsis timerent, inductum dicebat [4].

Maximilianus quidem a Granvellano petere cogitaverat ut marchionis et Montinii dimissionem a Rege impetraret [5]. Marchio autem die 21 mensis maii 1567 Mantuæ Carpetanorum decessit : ipse aperte dixit Regem catholicum suæ mortis causam esse, quod se invitum perdiu detinuisset [6]. Philippus abeundi copiam ei tantum dedit cum non jam e morbo recreari posse eum novit [7].

Maximilianus, ait Morillonius, marchionis obitum con-

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 116.
2. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 417.
3. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 478.
4. *Ibid.* II, p. 245.
5. *Ibid.* II, p. 553.
6. Gachard, *la Bibliothèque Nationale à Paris*, II, p. 238.
7. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 535.

coquere non potuit: Morillonius autem scripsit non magnum esse damnum et melius futurum fuisse, si septem ante annis decessisset; quod si marchio audierit Valencenatium testimonia, illam ei fuisse mortis causam[1]. Cum non fuisset spatium quæstionis de vivo marchione habendæ, de mortuo tantum quæstio habita est[2]. Sed Maximilianus semper dedit operam ut ejus famam defenderet. Dicebat se de ejus morte gaudere, quod jam extra periculum esset[3]; marchionem primum ignarum fuisse quæ reipsa Orangii essent consilia, a quo, iis auditis, se sejunxisset. Morillonius autem his Maximiliani verbis non credebat, et jocose arbitrabatur Orangium ipsum ignarum fuisse quæ marchionis essent consilia, cum inter se fallerent et id modo convenirent ut Granvellanum detruderent. Maximilianus contra contendebat marchionem ecclesiæ catholicæ tenacem fuisse et, si potestas agendi ei permissa fuisset, res melius restituturum fuisse quam ipse restituisset Norcarmius[4]. Attamen Morillonius prædicabat sua ipsius opera Maximilianum ad id inductum esse ut aliter de marchione sentiret: quærentem enim quid de cunctis criminibus quæ in marchionem intenderentur Morillonius arbitraretur, cum ea audivisset et ipsi et Regi vera videri, obstupuisse utpote qui marchionem alium esse existimaret atque reipsa esset, aut res ignorare se simulavisse[5]. Maximilianus quidem marchionem Bergensem magis noverat quam qui maxime: ejus memoriam coluit, propter cognationem, quæ ad Maximilianum non parum momenti habebat (pro del Dale quoque, cui affinis erat, deprecatus est, qui Tornacensis consistorii præcipuus auctor fuit[6]); marchionis etiam memoriam coluit, post ejus

1. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 484.
2. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 122.
3. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 503.
4. *Ibid.* III, p. 332-333.
5. *Ibid.* III, p. 410-411.
6. *Ibid.* II, p. 302-303, 516, 557.

mortem, veniam generalem petendo, quam ipse marchio vivus petierat.

Constat igitur proceres apud Maximilianum aliqua auctoritate fuisse. Nobilis ipse idemque Granvellani amicus, ad ignoscendum hæreticis propensus idemque archiepiscopus, veniam pro seditiosis ab Albano petens idemque ab ipsis seditiosis in Cameracesio vexatus, inter humanitatem et utilitatem suam fluctuabat, et cum a seditiosis Albanique amicis abhorreret, quid et Belgio et Regi et ecclesiæ catholicæ expediret agnoverat. Maximilianus igitur ad clementiam inclinavit, quod cum eisdem non conversatus est, quibus et Albanus et Hispani utebantur; sed, ob aliquot dominorum amicitiam, eorum quasi patronus videbatur ideoque minus auctoritatis apudAlbanum fortasse habuit.

B. Quomodo Maximilianus censuerit in Belgio pacem restitui posse et hæresim restingui.

Cum jam natura clementiæ pronum Maximilianum iis præsertim, qui clementiam laudabant, episcopis, Granvellano nobilibusque aurem præbentem vidimus, nunc considerandum est quomodo ipse et hæresim exstinguendam et res publicas restituendas Maximilianus censeret et pro sua parte gubernantibus suaderet.

Ante Albani adventum hoc tantum Maximilianus arbitratur res restitui posse, si Philippus rex in Belgium veniat. Eum enim sperabat melius in Belgio judicaturum esse quomodo se res haberent, cum non tantum suos ministros aut legatos, qui forsitan partem rerum celarent, jam auditurus esset; facilius res tranquilliores facturum

et suam auctoritatem legesque restituturum quam sæva dominatione fecisset Albanus; tum eis veniam daturum, qui ab ipso tantum catholicisque theologis dissensissent; ab iis autem, qui publicam pacem turbavissent, haud sine clementia pœnas expetiturum; in eos tantum vehementer sæviturum qui in fortunas invasissent aut alicujus vitæ insidias paravissent; denique inquisitionem abrogaturum et decreta in hæreticos lata mutaturum; tunc enim proceres maximo studio in Regis dicionem concessuros; maximam ejus populo fore reverentiam; quinetiam, ut fit sæpe, sedatis turbis, Philippum suam potestatem firmius stabiliturum [1].

Granvellanus ipse Regis adventum suadebat et jam anno 1562 Gonzalino Perezio scripserat: Pro Dei amore, Regi profectionem in Belgium parandam, ut cunctos legibus suis constringeret et in multos annos res suas restitueret; in dies religionem in pejus declinare; Rege absente, nullum mali remedium, sed ei malam fore conscientiam [2]. Et ipsi Philippo: in Belgium venire eum expedire, qui res seditione turbatas facile et fortasse in perpetuum componeret [3]. Morillonius quoque arbitrabatur, si adesset Rex, proceres alio sermone usuros (1565) [4].

Non unus igitur Maximilianus Belgio commodum fore venire Regem censebat. Ex hoc autem ipso apparet ei et publicas res curæ esse et ad tranquillitatem restituendam videri clementiam vi potiorem. Primum anno 1563 Maximilianum novimus Regis adventum suasisse in epistola ad Granvellanum scripta: Regem hic esse, aiebat, valde expediat et utinam huc Deus eum mox reducat! Si aditus ad Regem pateret, eum vel Mediolanum non adire non possem [5].

1. *Corresp. de Philippe II*, I, CLVII.
2. *Ibid.* p 213 (die 23 mens. Augusti).
3. *Ibid.* p. 216.
4. *Corr. de Granvelle*, I, p. 22.
5. GROEN VAN PRINSTERER, *Op. cit.*, I, p. 116.

Præsertim ab anno 1565 eo vehementius Regem advocat quod res tunc sunt difficillimæ. Reputa quibus turbarum causis ab Egmontii reditu (die 30 mensis apr. 1565) ad Albani adventum (die 22 mensis augusti 1567) Belgium commotum fuerit. Egmontio primum Rex pollicitus erat se mox in Belgium iturum esse et, cum hoc Egmontius nuntiavisset, qui Philippi adventum optabant, sibi videbantur ad ipsum Regem posse scribere quid optarent. Maximilianus in epistola de Belgicis rebus et hæreticis ad Philippum die 18 mensis julii 1565 scripsit rebus restituendis eo non minus opus esse quam pane vitæ humanæ sustinendæ; timere autem se ne serius Rex veniret [1].

Paulo post, audito Albani Catharinæque Mediceæ ad Bajonam colloquio, proceres Orangius, Ludovicus Nassavius, marchio Bergensis, Nicolaus Hames, Brederodius, Gillius Clericus, Egmontius, Hochstratanus, Culemburgius, Hornanus, Gandavensis, etc., timuerunt ne Albanus, ut qui Catharinæ severitatem suasisse diceretur, in ipsos primum sæviret, et conventicula Aquis Luviensibus, Vianæ et Antoniæ habuere. Maximilianus a Bergis, cum Antoniam se contulisset, ubi Montinii, Colinio propinqui et hugonotis amicissimi, cum Helena Melodunensi, filia principis Spineti, hæreticis quoque propitii, sacra nuptialia erant, paucis post diebus Morillonio narravit ibi se nonnullos nobiles viros vidisse, qui ipsi, propter signa Belgicis proceribus insolita, in suspicionem venissent. Itaque addidit Regem, nisi brevi veniret, Belgium amissurum esse. Morillonius, qui tamen Regem unum dominis silentium imponere posse postero mense scripsit, audito Maximiliano obstupuit, et, cum archiepiscopus nihil amplius dixisset, suspicionem habuit eum plus nosse quam diceret. Supervacaneum est quærere quam ob causam non amplius Maximilianus dixerit, cum hoc tantum diceret, quod multi alii, Regem unum Belgium in fide retinere posse :

1. *Corresp. de Philippe II*, I, p. 366-367.

ab ipso Morillonio accipimus Maximilianum in plerisque litteris a Granvellano postulare ut Regem ad proficiscendum sine mora hortetur [1]. Sed die 20 mensis augusti 1566 Regis adventum rebus publicis non jam occurrere posse arbitrabatur : In maxima animi perturbatione esse et vere catholicos et qui in Belgio recte sentirent; licet brevi Rex veniret, serius tamen eum venturum et res non intra quinquaginta annos restitui posse. Utinam, aiebat, ne in pejus mutentur [2] !

Etenim post annum 1565 multa in Belgio fuerunt graviora : cum per litteras Segoviæ scriptas Rex Inquisitionem et edicta a Carolo in hæreticos lata severe servari jussisset, a Margarita proceres discesserunt; Ludovicus Nassavius, cum Antverpiæ, quod quasi hæreticorum in Belgio caput fuit, esset, declaravit si quis Inquisitioni se subjiceret, eum pro Regis Belgiique hoste habendum; proceres Bredæ et Hochstratæ conventus habuerunt, ubi Orangius dixerat illis reipublicæ regimen forsitan suscipiendum esse; die 5 mensis aprilis 1566, Gheusii libellum ut Inquisitio et Caroli decreta antiquarentur Margaritæ porrexerunt; ministri calviniani, qui ad hæresim Belgas excitabant, publicas prædicationes Antverpiæ, Gandavi, Brugis, Tornaci, Valentianis,etc., instituerunt; Liram fœderati advocati sunt, ut idem iterum Margaritæ denuntiaretur et bellum civile pararetur; Trudonopolim, postremo sine armis, convenerunt, ubi duces delegerunt et per duodecim legatos libellum ad Margaritam iterum miserunt, quo querebantur quod clerici et civitatum magistratus in hæreticos, qui ab omni culpa vacarent, sæviissent (mense julio 1566). Denique, augusto mense, fere ubique ecclesiæ vastantur et imagines dissipantur. Itaque anno 1566, Regem ipsum afflictas res recipere posse Maximilianus non jam arbitrabatur et ejus adventum minus fortasse tunc optabat

1. *Papiers d'État*, IX, p. 651-654.

2. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 427.

quam proceres qui Trudonopoli dixerant : Utinam huc Rex redeat, ut in manus nostras incidat [1] !

Attamen, cum Cameracesium ipsum ab hæreticis turbaretur, et Valencenates præsidium a Margarita missum accipere nolentes pro Regis ac patriæ hostibus haberi ducissa jussisset, Regi rursus Maximilianus confisus est et Granvellano scripsit secundum Deum, nullum aliud remedium esse atque Regem, si remedium esset : itaque Regem precibus fatigandum, ut ille saltem Mediolanum mox veniret [2]. Quanquam Albano cum militibus venturo mox gaudebat, cum is Cameracesium tueri posse videretur, regem tamen ipsum semper appellat : Deus, ait, eam Regi mentem det ut festinet ! nam etsi, copiis quas adducit Albanus adjuvantibus, resistere paulisper poterimus, postea, cum illæ copiæ sumptui nobis futuræ sint, hæretici nos facilius superabunt [3].

Ante annum 1567, nullum aliud turbarum remedium Maximilianus videtur optare ac Regis adventum. Granvellano quidem Morillonius die 7 mensis julii 1566 scripsit : Utinam difficillimis his temporibus archiepiscopus Cameracensis profiteatur quo modo cuncta pacari posse arbitretur et audiant intelligantque Hispani, cum necesse sit ut omnes periclitanti reipublicæ succurrant [4] ; Maximilianus autem Morillonio octo ante mensibus dixerat se Regi scripsisse quomodo res restituendæ essent.

Quis autem futurus esset Regis venturi apparatus incertum erat. Granvellanus, Margarita, Maximilianus, Morillonius aliique orabant ut tanquam Belgarum princeps veniret et ita erga Belgas animatus ut auctoritatem suam benignis consiliis restitueret [5] ; alii ut cum militibus hispanis Belgium armis quasi invaderet, quam vim ii time-

1. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit* , I, p. 347.

2. *Corresp. de Granvelle*, II, p. 2 et 204-205.

3. Groen van Prinsterer, t.IX, p. 47-48.

4. *Corr. de Granvelle*, I, p. 521.

5 *Ibid.* I, p. 265.

bant, qui tanquam Granvellanus et Maximilianus, Regem ignorare arbitrabantur quomodo Res in Belgio vere se haberet. Philippo Granvellanus die 20 mensis maii 1566 scripsit eum cum exercitu venientem sibi omnes aditus ad Belgium præclusurum ; sine periculo cum comitatu assueto, paulo tantum majore, accedere posse ; bonos enim multo plures esse quam pessimos : denique, clementer agendum[1]. Ita enim Hispanorum vim et injurias horrebant Belgæ, ut in eos a proceribus facile irritari posse viderentur : cum fama increbuisset Alonzo del Canto pulverem sulfureum et ferreos globos emere, tanquam Hispani jam adessent et Belgium infesto exercitu ingressi essent[2], Ludovicus Nassavius ejusque amici deliberaverunt an hispanis militibus, qui in Inferiorem Germaniam venirent, occurrerent, salvo autem rege, cui reverti in Hispaniam liceret[3].

Non ea Maximiliano erat auctoritas ut invitum Regem in Belgium arcesseret, cum nihil profecissent et Granvellani et Margaritæ preces. Philippus non ab Hispania discessit neque unquam ei discedere in animo fuit. Hispani, inquit Polweilerius, eum fusti imperare orbi posse arbitrabantur[4]. Rex autem, ut aliis se ipsum advocantibus quasi satisfaceret et alios minis contineret, non semel vulgari se in Belgium mox profecturum esse jussit. Quod novimus eum Egmontio pollicitum esse ; nam die primo mensis aprilis 1566, summo concilio Mechliniensi scripsit se in Belgium ire statuisse[5], et ita cuncti credebant tunc Philippum navem conscensurum esse, ut Montinius, qui tunc in Hispania erat, Orangio nuntiaverit Regem sexaginta aut septuaginta millia Hispanorum, Italorum aut Germanorum veteranorum secum adducturum esse[6]. Ipsam Margaritam

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 269.
2. *Ibid.*, I, p. 325.
3. Archives Nation. K. 1506.
4. Groen van Prinsterer. *Op. cit.*, I, p. 283.
5. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 577.
6. Groen van Prinsterer, t. II, p. 360.

illudebat Philippus : illi enim se mox Oceanum transiturum esse scripsit[1], et ducissa tunc respondit sperare se mox eum visuram, ut ei, qui tamen ipsi parum confideret, multa declararet quæ scribere non posset[2]. Quo magis fidem Rex faceret, quid in Belgio agere ipse vellet indicabat, et Inquisitionem se ipsum in Belgio, sicut in Hispania esset, instituturum esse. Legatus Galliæ regis in Hispania, Forquevalius, Regem ob hanc causam cum quinquaginta doctoribus et theologis Bruxellas iturum scripsit (die 2 mensis augusti 1567)[3].

Bruxellas autem Rex non ivit et jam die 14 mensis octobris 1566 hoc Hoppero Viglius scripserat : « De adventu Regis spes decrescit, augetur cotidie malorum audacia atque numerus, defectio fit non solum hominum, sed integrarum urbium. Et quod potissimum est, nulla pæne reverentia nullaque auctoritas manet capitis, quod et unde procedat, non est apud te commemorare. Quamobrem Regem ipsum venire oportet aut id consilii capere quod dicere aut scribere non ausim[4]. »

Si Rex ab Hispania discessisset, non iis quos Maximilianus reposcebat, circumdatus, in Belgium venisset. Regis autem consilia in Belgium Albanus quasi attulit et, ubi Albanus in Belgio fuit, Maximilianus non jam Regis adventum, sed veniam, a qua abhorrebat Albanus, petiit.

Jam ante Albani adventum, Maximilianus et legationem præsulum qui anno 1569 Albanum convenerunt et veniæ generalis promulgationem quasi paraverat. Animo enim collige qui fuerit et quid egerit et liquebit neminem vehementius adjuvisse ad clementiam Philippi ministris probandam. Omnes illi clementiæ quasi assuefaciebat, cum eam cotidie et coram omnibus prædicaret, nec sine forti

1. *Corresp. de Philippe II*, t. I, p. 550.

2. *Ibid.*, t. I, p. 556 (die 12 mensis Julii 1567).

3. Gachard, *La Bibliothèque Nationale à Paris*, II, p. 245. — Cf. Gachard, *Corr. de Philippe II*, Introd., p. CLIV sqq.

4. *Ep. Viglii*, p. 381.

animo ita dissidebat a gubernantibus, qui tunc judices severius in hæreticos seditiososque sævire jubebant.

Quanquam multa ignoramus quæ egit Maximilianus, ex iis quæ novimus satis patet neminem in Belgio diligentiorem veniæ generalis suasorem fuisse. Jam anno 1564 a nobilibus stare audebat, cum regi scriberet nobilibus satisfaciendum esse, ea enim tantum arte et pacem et catholicam fidem restitui posse. Anno 1566, post litteras a Rege Segoviæ scriptas, cum totum Belgium tumultibus laboraret, et ipse Valentianis, Cameraci Castellique Cameracensis hæreticorum audaciam videret aut vidisset, Maximilianus episcopos hortabatur ut cum ipso supplicia deprecarentur. Tunc episcoporum concilium habere voluit; iis legatum miserat doctorem Duacenum; noluit autem Yprensis; Tornacensem Atrebatensemque Morillonius deterruit quominus ad concilium irent, Atrebatensemque hortatus est ut Audomaropolitanum deterreret: idem Granvellano scripsit in animo habere Maximilianum per hoc concilium edicta mitigare; mirari se quomodo ad hoc adductus esset: illius concilii marchionem Bergensem, Orangium Egmontiumque auctores fuisse [1]. Duobus post mensibus (die 7 mensis april.), a Tornacensi iterum episcopo Maximilianus efflagitavit ut a Margarita edictorum laxamentum peteret, quod, ait Morillonius, Tornacensis prudentior fuit quam ut faceret [2]. Anno 1567 (die 10 mensis februarii), Maximilianus rursus dedit operam ut episcopi nepotem Richardoti ad Pontificem mitterent, quem hortaretur ut Regi clementiam suaderet, auctoribus, ait Morillonius, marchione Bergensi et Montinio, qui pro se ipsis timebant. Tornacensis autem aliique episcopi responderunt tunc singulos pro grege suo hoc officio sese functuros, cum ipse Rex venisset [3].

1. *Corresp. de Granvelle*, I, p. 116-117 (die 10 mensis Febr. 1566).

2. *Ibid.* I, p. 202-203.

3. *Ibid.* II, p. 245-246.

Quanquam episcopalem illam synodum ad veniam laudandam cogere non potuit, ceteris episcopis Maximilianus ostendit se eorum comitem ducemque fore, cum agnoscerent neque publicæ utilitatis neque catholicæ ecclesiæ esse diutius Albani supplicia tacite tolerare. Ita timidis audaciam, incertis exemplum utile dabat. Sunt qui anno 1569, vel 1568 veniam generalem prædicaverint : quam pauci, exceptis nobilibus et hæreticis, ante annum 1567 ?

Anno 1568 iterum Maximilianus collegas suos inducere nititur ut veniam petant et ipse apud Regis ministros eam prædicat. Sero autem responsum est ac nihil in verbis satis expressum[1]. Paulo post tamen alteram de venia cum Richardoto epistolam ad Albanum misit ; rescriptum est nondum adesse tempus, nec archiepiscopum rei, cum opportuna videretur, inscium fore. Tunc quidem parum gratus erat Albano Maximilianus, quod eum non monuerat de iis quæ, proficiscente in Hispaniam Montinio, Warluseus, Cameracensi arci præfectus, egerat ; causam quidem præbebat Maximiliano in Germania illo tempore commoratio ; omnia tamen ex Antonio de Gouy, Warlusei legato, acceperat[2]. Nec ipsi regi, si Morillonio creditur, multum probatus Cameracensis ; quippe quem idem Morillonius arguat, « multa inepte fecisse et imprudenter prætextu zeli. »

Non mirum est si legationi præerat Maximilianus, quæ anno 1569 ab Albano veniam generalem petiit. Occasionem hujus legationis dedit habenda Albano ob reditum gratulatio. Maximilianus et Richardotus, qui Morillonium secum Bruxellas abducere voluerant, non recusaverunt quin ab Alonzo de Contreras, qui Ducis confessarius erat, quæreretur utrum res accepta foret necne ; qui quidem, vehementer rogatus ut libero sermone uteretur, respondit ducem Albanum in vitio tam pium munus non positurum,

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 296.
2. *Ibid.*, III, p. 332-333.

seque optare ut per compita et vias venia imploraretur. Cum Atrebatensi episcopo et Morillonio idem prandit, nec interea sententiam movit; addidit etiam nimis longam rei exspectationem fuisse. Post prandium ad Albanum ivit, aditum legatis postulaturus, moxque ante cubile ducis, quem podagra jacentem detinebat, eos perduxit[1]. Stabant propter lectum Barlamontius et Norcarmius.

Satis magna legationi dignitas. Cui præerat Maximilianus: Richardotum sequebantur clerici Atrebatenses; Morillonius ducebat eos quos Mechlinia, Lovanium, Bruxellæ et Anderlachtensis ecclesia miserant. Archiepiscopus Cameracensis dicendi potestatem pro episcopo Atrebatensi, utpote eloquentiæ peritissimo, postulavit. Qui quidem primum duci reditum gratulatus est et gratias egit quod hostes oppressisset. Deinde rem ad veniam generalem deduxit; quam non indecore proposuit, et auctoritatem veterum Patrum, qui semper se pro sontibus populis deprecatores præbuerint, prætulit. Adeo miserabilis oratio fuit, adeo humiles et decentes voces, ut nemo præsens fletu abstinuerit. Comiter respondit Albanus; gratias egit de bonis propter reditum verbis; mox admonuit se, regi de venia congruentem, multitudini olim in errorem inductæ culpam remissurum. Abituri ter ante Albanum procubuerunt legati. Cum loco recederent, Barlamontius et Norcarmius Morillonio dixerunt legatos magnum opus bene incepisse, et oranti ut adjutores forent, se libenter aliquid auxilii laturos polliciti sunt[2].

Albanus, qui benigno vultu legationem exceperat, magnam tamen intimo corde ex hac molestiam ceperat; adeo ut postera die quam res factas Granvellano narraverat Morillonius, eidem scripserit duci tantummodo tædium admissæ legationis fuisse, nullam autem veniæ tribuendæ voluntatem, sed potius necessitatem non citatim negandi[3].

1. *Corr. de Granvelle*, III, p. 447-448.
2. *Ibid.*, III, p. 434-435.
3. *Ibid.*, III, p. 444.

Manifesta mox per Alonzo de Contreras ducis consilia. Ille enim Cameracensi archiepiscopo et Atrebatensi episcopo declaravit legatos præter Albani exspectationem venisse; fuisse melius, multas ob causas, si ab re abstinuissent. Quinetiam Albanus ipse Maximiliano dixit rem intempestive actam; ceterum culpam in confessarium transferebat[1].

Nec tamen, etsi suas minime valuisse preces cognoscebant, etsi non ignorabant Rythovium, Yprensem episcopum, Hispanis suspectum esse, qui veniam maturare voluisset[2], etsi, cum coram Albano plurimas cum singultibus lacrimas effudisset, negotia non meliora fecerat Maximilianus[3], hic et Richardotus rem susceptam non deposuerunt. Quibus paulisper in animo fuit filios Albani precibus aggredi; a re deterruit Morillonius quam non decere ostendit : sic enim eos speciem hominum ad rebellionem quoslibet excitantium præbituros[4].

Utrique spem addebant litteræ Maximiliano die 12 mens. Octobr. 1568 scriptæ[5], quibus Rex indicabat se omnino veniam probare et brevi de ea re consilium se capturum[6]. Itaque Albani confessarium, quocum major quam convenerat altercatio cum Richardoto paulo ante fuerat[7], ambo invisunt eumque monent intra septem dies XLII viduas Valentianis factas et orbos parentibus CCLXIV[8]. Certum fuerat Morillonio non interesse colloquio; ei autem deinceps narravit confessarius Albanum respondisse se sæpius deceptum; prope Trajectum ad Mosam duobus nobilibus viris, qui prædes pro captivis duobus fuerint, nuper fidem

1. *Corr. de Granvelle*, III, p. 447.
2. *Ibid.*, III, p. 445.
3. *Ibid.*, III, p. 446.
4. *Ibid.*, III, p. 448.
5. *Ibid.*, III, p. 469.
6. *Ibid.*, III, p. 452.
7. *Ibid.*, III, p. 445.
8. *Ibid.*, III. p. 459.

habuisse : statim autem et hos et illos ad Orangium transfugisse. Quæ quidem, ut addit Morillonius, mendacia et confictæ causæ. Non tamen ab eodem confessario aliud responsum datum Jansenio, Gandavensi episcopo, qui litteras quoque ad Albanum miserat, quibus exponebat nunc eligendam imperatori, copiis et victoria potenti, viam qua ad amorem civium perveniret, « nulla, ait Morillonius, alia circuitione usus, ut est simplex et rectus. »

Nihil igitur ab episcopis actum, nisi Albanum docere quæ Ecclesia censeret, nec sine offensa. Etenim non is erat Albanus qui atrox ingenium ante Belgas, quicumque forent, flecteret. Aliquid tamen ex ea re ortum ; nonnihil quoque auctoritatis erga laicos clericis additum[1]. Mox vero, propter moras, redintegrata desperatio ; vulgata est fama Albanum multa captivorum supplicia jussurum, dum regis mandata exspectaret ; legatione vix dimissa, profitebatur Norcarmius ducem mox trecenta capita securi præcisurum[2]. Nuntiavit igitur Maximilianus sibi tantam esse ægritudinem rerum quas videret, ut muniis suis abdicare se februario mense voluerit et de illa abdicatione regi scripserit[3]. Reservatus tamen idem Maximilianus erat ad veniam summi pontificis nomine pronuntiandam.

3° DE VENIÆ GENERALIS PROMULGATIONE

Ad id enim anno 1569 Philippus venerat ut tandem jussurus esset Albanum veniæ operam dare, suadente præ-

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 435.
2. *Ibid.*, III, p. 444.
3. *Ibid.*, III, p. 470.

cipue Granvellano, qui non solummodo regem ad clementiam, præterita oblivione deleturam, sed etiam ad veniam generalem tribuendam nonnunquam incitaverat[1]. Confecisse videntur negotium litteræ die 10 mensis januarii ab eo scriptæ, se sperare Philippo regi tandem aliquid de venia generali certum deliberatumque esse; moleste autem ferre se eam jam ante non fuisse factam, correctione quadam adhibita quam Albano duci indicaverit; magnopere enim rem ad provinciæ tranquillitatem pertinere, ne mox commercium ad nihilum redigeretur[2]. Subscripserat Philippus veniæ jam opportunum tempus adesse.

Igitur, Granvellano auctore, forte etiam Maximiliani nostri precibus, de quibus supra diximus, adductus, rex die 18 mensis februarii mandabat Albano jam studium veniæ generali dandum; si formula, quam Hopperus dixerit a Viglio, duce jubente, parari, nondum, litteris his acceptis, fuerit perfecta, rem maturandam; et scripturam, addita Albani sententia, quam celerrime sibi mittendam; majorem enim ex pace apud Belgas quam ex publicatis bonis fructum percipi posse[3]. Mox die 12 martii mensis, rex Granvellano se eamdem atque ipsum de venia generali opinionem habere, nec sibi imputandum si tamdiu dilata fuerit; nunquam ex Albano, bellicarum rerum cura districto, edicti formulam accepisse; ducem vero nuper nuntiavisse nunc opus inceptum esse; se igitur, scriptum statim atque pervenerit, sine mora perlecturum, atque jussurum id in Belgium remitti, adscriptionibus quæ in rem forent factis; procul enim dubio magni momenti esse veniam tribuere[4].

Paulo post Granvellano a rege datum est negotium suæ Albano exponendæ de ea re opinionis, ut hic ex consiliis

1. *Corr. de Granvelle.* III, p. 83 et 400.

2. *Ibid.*, III, p. 442.

3. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 63.

4. *Corr. de Granvelle*, III, p. 509.

utilitatem, si visum esset, caperet. Sciebat enim rex Granvellanum non ignorare, impensis ampliter in Hispania factis, ærarium incolume servandum[1].

Albanus qui, sive sponte, sive orantibus multis, manus veniam petentibus dare ad extremum videbatur, formulæ conscribendæ curam Viglio ante annum 1568 mandaverat. Res nota ex Viglii ad Hopperum epistola : « De venia gratiaque generali dux aliquam spem facere nobis incipit, meque ejus formulam concipere jussit. » Sed id studuit semper Albanus ut quam strictissimum veniæ modum statueret ejusque publicationem prolataret. Nulla igitur, dum parabatur formula, suppliciorum intermissio ; nihilo Vergasii remissior severitas[2]. Lætitiam tamen afferebat Belgis nuntius rerum de venia propositarum. Etenim non fallebat eos Viglium liberrime et sapientissime apud Concilium Status sententiam dixisse, et necesse fuisse Vergasio, qui abire voluisset, ab ira animam revocare[3]. Itaque adeo bono animo cives ut primis anni 1568 mensibus haud in dubia spe essent veniæ ante Paschæ diem tribuendæ[4]. Conceptam formulam die 10 mensis martii Albanus ad Philippum misit ; quædam sua ipsius manu adnotaverat[5]. Sed paucis post diebus eidem scripsit ne veniam concederet, quod non aptissimum tempus esset[6].

Attamen veniæ formula, Mantuam Carpetanorum missa, relata est ad Belgas, qui apud Hispaniæ regem consiliariorum nomine erant, Hopperum scilicet et Tisnacum ; sed uterque de Albani annotationibus omnino celatus est. Voce et scripto professi sunt propositam rem nec clementiæ promissæ, nec Germanorum principum precibus, nec tam longæ Belgarum exspectationi congruere ; denique

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 577.
2. Hoynck, p. 498.
3. *Corr. de Granvelle*, III, p. 458.
4. *Ibid.*, III, p. 496.
5. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 90,
6. *Ibid.* , t. II, p. 74.

exceptiones quam plurimas veniam inefficacem facturas[1]. Hoppero tamen die 25 mensis junii Viglius respondit : « Nisi intercessissem, longe restrictior ea formula fuisset quam Illustrissimus Albæ Dux misit ; qui autem ista consilia suggerunt perpetuo videntur velle habere quod agant, promissionemque Regiæ Majestatis et quam de ejus clementia opinionem ac spem omnes conceperant subvertunt. » Sperabat enim Viglius operam daturum regem ne tam parce et restricte venia concederetur, et addebat : « Bene habet quod Deus Regi in mentem misit, ut majorum suorum exempla inquirenda duxerit ; et sane in historiis hispanicis quædam olim legi quæ multo benignius exemplum præferunt, quam in miseros hic Belgas exercetur[2]. » Cayasius vero, qui ab epistolis erat, Albano scripsit in Concilio Status deliberatum fuisse ea quærere, antequam de venia generali statueretur, quæ fuerint facta tempore seditionum quibus olim Castellæ, Navarræ Valentiæque civitates turbatæ erant[3]. Quam Bruxellis acceperant formulam nihilominus mitiorem judicabant qui e consiliariis Hispani erant. Itaque eam, absentibus Hoppero et Tisnaco, mutaverunt per libellum quem rex Albano misit ; simul præceptum erat ut Dux id scriptum cum viris a se delectis perpenderet, moxque, examinatis singulis rebus, in Hispaniam remitteret. Adjectum a Philippo Hopperum et Tisnacum rei esse ignaros nec eos aliud scire nisi veniam dilatam esse[4].

Haud tamen suppressa rei fama. Dux enim Albanus apud Cayasium queritur regiam de venia epistolam per litteras cujusdam scribæ, quo Tisnacus uteretur, in Belgio divulgatam ; pernotuisse etiam Hispanos vehementer in concilio veniæ repugnavisse ; se autem maximo damno affec-

1. Th. Juste, *Le Soulèvement des Pays-Bas contre la domination Espagnole*, p. 204.

2. Hoynck, p. 524.

3. *Corr. de Philippe II*, t, II, p. 103.

4. *Ibid.*, t. II, p. 90-91.

tum ex eo quod severitas nimia quibusdam regem adeuntibus visa fuerit ; non tantam, si præsentes viderent omnia, misericordiam exhiberent ; nihil saltem factum, quod non rerum divinarum vel regiarum necessitas postulaverit[1].

Imperatum tamen fuerat a rege ne quid rerum de venia actarum palam fieret; sic præceperat Philippus ut Albanus, cui quatuor veniæ formulas, minime in clementia pares, miserat, eligeret inter eas quam temporibus opportunam arbitraretur, in arcano autem et operto tres alias servaret, ne, sævius consilio capiendo, invidiam Belgarum, quos non falleret penes eum mitiorem fuisse sententiam, colligeret. Quæ formulæ, insciis Hoppero et Tisnaco, quibus abrogata erat fides, conscriptæ [2]. Nempe amborum moderationi indulgebat Granvellanus qui, ut scire est ex litteris ad Hopperum, non dissimulabat errare eos qui veniam in angustum deducere suaderent. Condicionem enim rerum non jam eamdem esse cardinalis animadverterat [3]. Haud absimilis animus Viglio, qui a Bruxellis ad eumdem Hopperum : « Avide exspectamus ecquid tandem de gratia generali Rex resolvet;... scis in proverbio esse, Bis dat qui cito dat; et plerique, dum nimis diu exspectant, morte præveniri metuunt [4]... Rogandus nobis est Deus, ut cor Regis, quod in manu ejus est, tandem aliquando ad clementiam misericordiamque flectat [5] ».

Die 15 mensis januarii monuit Albanus regem ad se pervenisse quatuor veniæ formulas, nihil autem ad hanc diem a se promulgatum. Plures causæ a Duce allatæ ; ostendebat præcipue res de tributo decimæ et vigesimæ nondum ad exitum perductas, nec hactenus datum de Montinio judicium [6].

1. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 96-97.

2. *Ibid.*, t. II, p. 113.

3. *Ibid.*, t. II, p. 108.

4. Hoynck. p. 529.

5. *Id.*, p. 548.

6. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 119.

Petita a multis venia tanquam pœnarum quies, « dum, ut Viglii verba usurpemus, criminalium processuum nullum finem videbant, ac jam ultra octo millia hominum proscripta bannitaque, præter eos qui publico supplicio affecti fuerant [1], » sed quemadmodum Maximilianus a Bergis, ut aiebat Morillonius, propter servandum Montinii caput veniam postulabat, ita negabat eam Albanus, nonnullos, atque Montinium in primis inter eos, sublaturus.

Itaque non interea consederat terror, cum in Concilio Turbarum, quod maxime dominabatur, additus est collega Vergasio et Ludovico del Rio Hieronymus Roda, hispanus quoque homo ; cæcis criminibus vel suspicione tantum implicati plures atque, ut publicarentur bona, capite damnati. Latum est tandem, die 4 mensis martii 1570 ab Hispanis consiliariis judicium, quo tum in marchionem Bergensem, qui jam abhinc tribus annis mortuus erat, animadvertebatur, tum in Montinium, adhuc Segoviæ carcere inclusum, itineris olim comitem [2].

Infecta tamen semper de decimæ tributo res erat.

Debellato Orangio et in Galliam regresso, post reditum victoria exsultans Albanus eam sibi opinatus erat fore auctoritatem ut, non resistente provincia, tributum novum imponeret : quo non solummodo solvendæ impensæ in Belgio factæ, sed etiam colligenda pecunia quam in futurum seponeret. Ea nova tributi ratio erat, « ut rerum mobilium, quotiens venderentur, decima, immobilium vigesima ; omnium vero centesima semel a Belgis penderetur [3]. » Sed Ordines generales ob hanc causam convocatos ita adversarios Albanus habuit, ut, cum nihil ex iis obtineret, de re cum provinciarum Statibus agere coactus fuerit. Haud magis successit incepta res, atque ideo tunc neglecta, non

1. Hoynck, p. 547.
2. *Corr. de Philippe II*, t. II, p. 123.
3. Strada, p. 380.

omissa tamen adeo quin Albanus, semper propositum assequi volens, minas adhiberet.

Voluntati Ducis multi e præsulibus summa vi obstiterant, inter quos Richardotus, quem maxime veniæ probatorem esse scimus. Atqui Viglius, tributo novo ceteroquin infensus, Richardotum, qui ei ostenderat quanto damno istiusmodi exactio provinciarum libertati ac mercaturæ futura esset, admonuerat timendum esse ne Dux ulciscendi libidine impulsus, nunc inflatus victoriis et effuso cruore veluti ebrius, Hispanos milites in Atrebatensem agrum duceret et se suo ibi more gereret. Ad Hopperum quoque scripsit, haud ignarus quanti referret Albani pecuniam contrahere: « Gratiam tamdiu exspectatam quidam allatam referunt. Verum ego adhuc nihil ejus vidi, nec ea forte publicabitur, nisi impetratis prius iis quæ a statibus postulata et, ut alii dicunt, post messem spicæ lectæ fuerint [1]. »

Sed Mantuæ Carpetanorum semper inclinatiores ad clementiam animi; munus ergo Duci datum a Rege, per litteras die 18 mensis novembris 1569 scriptas, veniæ promulgandæ; sed quanta erat Albano festinatio in exsequendis, si quid asperius jusserat Rex, mandatis, tanta segnitia, si quid mitius [2]. Interea vero manifestiorem tribuendæ veniæ voluntatem Philippus susceperat: etenim anno 1570 rursus magnam apud eum auctoritatem habebat Rodericus Gomesius a Silva qui, Albano inimicissimus, nullum prætermittebat locum Ducis superbiam et sævitiam, Hispanorum imperium in Belgio labefactantem, vituperandi; simul Granvellanus et cum Granvellano nonnulli misericordiam suadebant. Rex demum, Annam Austriacam uxorem mox ducturus, intelligebat [3] opus esse non omnia Germanorum studiis negare, nec decere Belgas animis omnino conster-

1. Hoynck, p. 549-550.

2. Kervyn de Lettenhove, *Op. cit.*, t. II, p. 229.

3. Th. Juste, *Le Soulèvement des Pays-Bas contre la domination Espagnole* (1567-1572), p. 202.

natos sponsæ, per provinciam iter facturæ, spectaculo esse.

Rege igitur jam non clementiam aversante, res cum summo pontifice agenda erat. Mittendus enim a curia Romana legatus, qui regii legati iret comes Belgisque peccantibus pontificiam gratiam afferret: quod satis commode fieri poterat. Sed reperiebantur in Belgio qui contenderent inquisitoribus absolvendi facultatem esse, nec operæ pretium esse Roma quemquam magna impensa arcessi [1]. Ita censebat Viglius, qui Hoppero scripserat: « Pontificis vero gratiam exspectare non valde erat opus, cum per concilii Tridentini decreta episcopis ab hæresi absolvendi potestas fiat, et nostrorum Inquisitorum facultates in hoc sufficere videantur [2]. »

Ceterum veniæ, quæ sine pontifice concessa foret, rex minimam auctoritatem adjungere videbatur, in tali re non divinarum tantum, sed humanarum quoque rerum peritus; veniam enim sic majorem et ampliorem cives arbitraturos. Jussus itaque Albanus instare Pontifici ut breve quamprimum mitteret [3].

Quærentibus Hispanis qui Pontificis gratiam afferret, Granvellani, Mechliniensis archiepiscopi, qui tunc Romæ commorabatur, nomen occurrit: quem jam Albanus, litteris die 9 mensis junii 1568 datis eligendum legatum designaverat, eumdemque, post promulgatam veniam, adjutorem viro provinciam gubernanti dandum [4]. Verum Granvellano sub idem tempus scripsit Morillonius ab iis, qui veniæ concedendæ facultatem inquisitoribus attribuerent, dici non sanæ mentis existimandum Ducem, si socium ac forte dominum assumeret [5]. Attamen veniæ cum pontifice tractandæ cura in Granvellanum collata est: qui jussus

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 293.
2. Hoynck, p. 524-525.
3. *Corresp. de Philippe II*, t. II. p. 90-91.
4. *Ibid.* t. II, p. 29.
5. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 293.

erat confestim ex Pio V breve impetrare, cujus formulam cardinali atque Johanni Zunigæ legato Albanus missurus erat. Eo scripto danda erat Belgarum absolvendorum facultas, et sic confirmandum diploma regis præteritorum oblivionem turbarumque veniam civibus tribuentis [1].

Epistola, tribus post diebus data, indicabat Albano rex se Duci eligendum virum, cui munus veniæ pronuntiandæ pontifex committeret, relinquere; videri tamen sibi Granvellanum maxime ejusmodi negotio aptum; qui si non præsto foret, Cameracensi archiepiscopo rem mandari posse [2].

Jam igitur optima Granvellano in Belgium regressus occasio, nec facile intelligas cur manifestum in provinciam redeundi studium tunc non expleverit. Scimus tantum ex Philippi regis litteris Albanum expressis verbis a summo Pontifice petiisse ut Breve uni Cameracensi permitteretur [3]. Utrum Granvellanum, regiæ misericordiæ olim auctorem, amovere Albanus voluerit, an Maximilianum delegerit, Granvellano post multos dies ad deliberandum sumptos pontificiam legationem tandem recusante, non satis compertum habemus. Res una in promptu est: scilicet procul est dubio Albanum, incipiente anno 1570, ad Hispaniæ regem scripsisse Granvellano certum esse, si famæ crederetur, non ante in Belgium regredi, quam omnium rerum summa penes principem stirpis regiæ foret. Quod ita Philippi menti hæsit ut non semel jusserit Albanum verane res esset inquirere [4].

Primas igitur laturus erat Maximilianus a Bergis. Cui quidem, Granvellano onus defugiente, propter splendidissimam dignitatem veniæ pronuntiandæ decus concessum; non immerito tamen, si meminerimus quæ antea conatus fuerit. Minime grata summo Pontifici persona, ut supra

1. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 577.

2. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 91.

3. *Ibid.* t. II, p. 106.

4. *Corresp. de Granvelle*, III, p. 582-583.

vidimus, et pontificiæ veniæ condonandæ gloria ei ægre præberi debuit [1]. Nullum tamen impedimentum conscribendo brevi allatum. Quinque post acceptam Albani flagitationem diebus, missa ad Albanum quam rogaverat formula; incipiente septembri mense 1569 recepta [2].

Cur non statim promulgata sit supra exposuimus. De prolatione monitus Granvellanus; sed antequam res cardinalis fidei committeretur [3], a rege ad Albanum fuerat scriptum ut veniæ promulgatio maturaretur [4].

Quam esse proximam fere quisque ab initio mensis aprilis 1570 credebat. Ex Viglii litteris ad Hopperum : « Illustrissimus Dux Præsules aliquot huc excivit, ut cum ipsis de gratia apostolica exsequenda communicet, speramusque Regiam condonationem, quam tamdiu desideravimus, mox subsecuturam [5]. » Sequenti mense : « Gratiam regiam atque apostolicam ante festum Trinitatis publicaturum se promisit [6]. » Idem decem post diebus : « Condonatio Regiæ Majestatis nondum publicata est, verum tamen in certam spem omnes adducimur ante hujus mensis exitum eam Illustrissimum Ducem... propositurum [7]. »

Venia generalis tunc in Belgio primum obtinebat locum. Itaque de ea re in epistolis quas Ferralius, Galliæ legatus, ad Carolum IX regem mittebat, multus sermo, idemque nonnulla nos docet, quæ nunquam alibi reperiamus. Dubitavit diu Ferralius veniam essetne promulgaturus statim Albanus : famam esse omnes Belgii episcopos ad diem tam festum celebrandum conventuros; sacram pompam nuntiari; sed præterito anno eadem audita, nihil autem fuisse

1. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p 104-105.
2. *Ibid.* II. p. 106.
3. *Corresp. de Granvelle*, IV, p. 9-11.
4. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 126.
5. Hoynck, p. 558.
6. *Id.* p. 562.
7. *Id.* p. 565.

factum; se igitur suspicari rem rursus male cessuram [1]. Interea vulgata fuerat spes fore ut venia Bruxellis prima dominica die aprilis mensis promulgaretur, multique nobiles viri, rei videndæ studio ducti, in urbem advenerunt [2]. Mox mandabat Ferralius præterita dominica die ingentem fuisse multitudinem civium in maxima Bruxellarum ecclesia stantium veniamque exspectantium: nihil vero, post sparsos magnifice de venia generali rumores, pronuntiatum esse. Multis igitur jam metus ne magna pars gratiæ ob tot cunctationes multaque ob exceptionum capita corrumperetur [3].

Nihilominus non ambigebatur nisi de indicenda die. Ex Ferralio novimus primum constitutam fuisse diem sancto sacramento dicatam, vigesimam nempe et quintam maii mensis, magnamque apparatus magnificentiam Antverpiæ adornari [4]. Non jam morarum finis. Ad festum Sancti Johannis protracta res. Postridie festum querebatur Viglius « publicationem veniæ ac condonationem regiam adhuc protelari, » horatianum illud addens : « Vereor ne, cum amphora cœpit institui, urceus exeat [5]. » Causam dilationi affert Viglius processum adversus Status Trajectenses [6]; podagram autem, qua Albanus laborabat, Ferralius [7]. Tandem die 12 julii mensis 1570 Antverpiam Albanus profectus est, gratiam generalem promulgaturus, ibique die 16, qui dominicus erat, post perlectas Pii V litteras, recitatum est regis diploma quo venia Belgia condonabatur [8].

Inter eos qui Antverpiæ die 16 mensis julii 1570 erant

1. Bibliothèque Nationale, Ms. Franç. 16124 f° 31.
2. *Ibid.* f° 38.
3. *Ibid.* f° 40.
4. *Ibid.* f° 50.
5. Hoynck, p. 571.
6. *Idem*
7. Bibl. Nat. Ms 16124, f° 80.
8. *Ibid.* f° 87.

cum gratia generalis pronunciata est, legatus Regis Galliæ, Ferralius, et inter historicos Strada (qui a Ferralio non dissidet et addit quas tunc egerit partes Maximilianus) res accuratissime enarraverunt. Quanquam, ait Strada[1], magnam gratiæ partem cunctando corruperat, « nihil tamen Albanus omisit, quo magnifice id beneficium Belgarum populis exhiberet. Nam profectus Antverpiam, indictamque supplicationem ad primarium Virginis templum superbo ipse ornatu comitatus, post concionem ab Urbis episcopo Belgice habitam, sacrificanti Cameracensi Archiepiscopo cum regio Senatu interfuit. Sub finem sacrificii ab eodem Cameracensi perlectæ sunt Pontificis Pii V litteræ, quibus hæresi implicitos absolvebat[2]. Addidit Atrebatensis episcopus super eodem argumento Gallicam orationem, populum cohortatus, grates ut Deo ageret pro ea Pontificis Regisque clementia et Albani gubernatoris opera. Quæ dum pluribus extolleret, repentinis doloribus correptus atque e suggesto sublatus, multis ad superstitionem omnia trahentibus inauspicato dixisse, successuque non favente suscepisse causam visus est. »

In cæremonia igitur matutina primas egerunt partes episcopi et illi præsertim qui clementiam semper laudaverant, Maximilianus et Richardotus. Sed omen funestum, quod ex interrupta oratione acceptum est, recitatum in pompa vespertina Regis diploma quasi comprobavit. Etenim, « ad vesperam, ait Strada, Albanus Nobilium stipatus agmine in forum maximum venit. Forum infinita hominum multitudo oppleverat, disposito ad capita viarum milite, ac multitudini passim immisto. Inde conscenso ligneo theatro, conspicuum auro solium sublimis insedit, sacro accinctus gladio et galero tectus, quos reli-

1. Strada, *De Bello Belgico*, lib. VII, p. 384-386.

2. « Solemni supplicatione et sacrificio rite peractis Cameracensis Antistes litteras a Pio V largitas recitavit, quibus hæreseos veniam condonabat Belgis amplo favore. » (*Ferdinandi Toletani Albæ ducis vita et res gestæ*, Authore P. Antonio Ossorio, p. 384-386).

gione gemmisque pretiosos a Pio missos ante memoravi. » In gradibus suggestus, ubi erat solium, tantum, ait Ferraluis, erant Albani satellites et infra episcopi et Albani liberi, dux Areschoti, Barlamontius et Norcarmius, cancellarius Brabantinus, Viglius compluresque alii.

Cancellarius primum orationem habuit ; « tum præconem Albanus jussit prope stantem recitare diploma Regis, quo præteritorum oblivio turbarumque venia Belgarum populis tribuebatur. Quod ille Gallice Belgiceque præstitit adeo rauca compressaque voce ut quam paucissimis perceptus sit : sive id casu evenerit, sive Albani studio quæsitum, qui malebat beneficium ex ea pompa sparsoque magnifice de generali venia rumore, quam ex ipso veniæ diplomate, cui tam multæ exceptiones inerant, a Belgis æstimari. Accessit quod multitudo, quæ procul a theatro spectabat, ignara quantum cuique condonaretur, facile ab iis qui consulta opera beneficium regis extenuabant, in errorem inducta est, et eorum non pauci, qui propius astiterant, ob ea exceptionum capita, non satis sibi adhuc tuti videbantur. »

Attamen, Ferralio auctore, Albanus speraverat populum lætitiam significaturum esse, nam ejus promus, qui post solium erat, cum civibus composuerat ut, cum sudarium ostenderet, cuncti Albano acclamarent. Sed, sudario moto, omnes obmutuerunt et tubicines tantum sonuerunt[1]. « Certe observatum est plerosque domum suspenso animo rediisse, nec ullum festis in nocte facibus ignibusque, contra quam Albanus sibi persuaserat, edidisse gratulationis argumentum. »

Fuerunt tamen festæ faces ignesque die 25 mensis julii per tres dies, sed sumptu publico, nam populus abstinuit[2] ; cum Albanus tandem diploma, quod antea occultum tenuerat, edidisset, cognitis cunctis exceptionibus,

1. Gachard, *La Bibliothèque Nationale à Paris*, t. II p. 487-488.

2. *Ibid.* II. p. 489-490.

dixit aperte ipse magistratus, si antea cognovisset, se magnum sumptum in ignes non insumpturum fuisse[1].

Etenim veniam dabat Rex iis qui, ante duos menses, vera pænitentia moti, errores suos coram summi Pontificis legatis ejurarent. Excipiebantur tamen, expressa clausula, ministri et doctores Romanæ religioni infensi, et si quis eos in regionem vocavisset aut adjuvisset ; advocati in consistorium et diaconi, sicut et ii qui recepissent hospitio, sacrarum imaginum ruptores, auctores ducesque eorum qui Compromisso, optimatium libello aut aliis ejusdem generis documentis nomen apposuerant ; tunc ii qui cum rebellibus societatem fecissent aut iis sive cibaria sive pecuniam præstitissent, sicut et si quis quid in regem aut dicendo aut scribendo quomodocumque struxisset ; judices, magistratus, consiliarii, civitatum præfecti et beneficiarii et a secretis, advocati, procuratores, apparitores, et si quis aliis violatoribus non obstitisset aut malo fuisset exemplo ; postremo quicumque hæreticis sive rectam sive obliquam navavisset operam. Quod ad illos novissime dictos attinebat, si quis exsul per se coram suspicionem purgare paratus fuisset aut peccati veniam, ante hos sex menses, cum pænitentia petiisset, id aliquatenus respiciendi locus fieri posset. Publicata jam bona fisco remanebant, nisi in contrarium Rex statueret. Si qua autem Provincia, civitas, civium conventus vel sodalicium a fide discessisset, de his sibi judicium seponebat Rex qui privilegia, prout ipsi libuisset, aut abrogaret aut tueretur[2].

Quid de illo regio diplomate senserit Maximilianus nullo documento comprobatum est. Sed non dubium est quin tot exceptiones improbaverit. Recolamus enim quid ipse petierit et videamus quid de venia concessa sentirent

1. Cf. Litteras magno concilio Mechliniensi et aliis de venia generali promulganda missas (Archives du Royaume de Belgique : *Grand Conseil de Malines*, Reg. 920, p. 169, 170, 176, 177. — *Archives de l'Audience*, liasse 116). — *Corresp. de Philippe II*, t. II. p. 680, 683, 684, 685.

2. Cf. Th. Juste, *Le Soulèvement des Pays-Bas*, p. 204-205.

illi qui minus quam Maximilianus petierant. Albanus quidem Regi scripsit maximo cum populi gaudio veniam promulgatam esse, eos autem qui illum gubernarent minus esse lætatos, quod nullam probarent exceptionem[1]; et questus est quod Viglio Hopperus scripsisset formulam severissimam promulgatam esse; ipse autem contendit se mitissimam elegisse[2]. Sed ipse Morillonius duobus post annis, cum de alia venia ageretur (die 28 mensis aprilis 1572), dicebat melius esse nihil promulgari quam illam quoque exceptionibus circumscribi, sicut anno 1570[3]. Et Granvellanus Regi aperte declaravit veniam non illam lætitiam quam speravisset fecisse, quod serius tributa esset et innumeræ essent exceptiones[4]. Denique Viglius, qui et aliquam gratiæ formulam composuerat et recitato diplomati interfuit, Hoppero die 22 mensis augusti 1570 scripsit: « De publicatione Pontificiæ Regiæque gratiæ jam antea plene ad te scripsi, duoque potissimum in Regiæ Majestatis condonatione plerosque offendere indicavi: et quod Magistratus ministrosque omnes reservavit post tertium annum, quo adversus eos inquiri procedique potuit, et quod nimis exacte, ne dicam amare, regii fisci compendia quæsivisse videntur, qui eam gratiam conceperunt; dum redditus, ab Rege, Statibus aut oppidis iis, qui gratia hac frui volent, debitos, fisco remanere voluerunt, quod non parvam injicit difficultatem, dum quæstores hoc colore, quibuslibet, nisi antea sese expurgarint, solutionem denegant... Utinam autem Regiæ Majestati clementior sententia persuaderi possit, ac fidelium suorum ministrorum consilia exteris inexpertisque non ubique postponeret[5]. »

1. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 144.
2. *Ibid.* II, p. 164-165 et 167.
3. *Corresp. de Granvelle*, IV, p. 210.
4. *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 150.
5. Hoynck van Papendrecht, *Analecta Belgica*, p. 573-574.

Nec diu aut sæpe Maximilianus quid de venia Albano concessa sentiret explicare potuit. Obiit enim die 29 mensis augusti 1570. Cum Annam Austriacam Philippi secundi futuram conjugem Hispaniam petentem comitaretur, apoplexia oppressus Bergis ad Zomam subito occubuit[1]. Mortis ejus nuncius fuit Cameraci die 30 ejusdem mensis magister Petrus Buquet, filius consulis hujus oppidi ; corpus defuncti Maximiliani allatum est Cameracum die 2 mensis septembris et conditum in loculo plumbeo quod vehebat currus; die 9 ejusdem mensis humo mandatum est circa horam quintam a prandio, assistentibus Norcarmio et præposito cum scabinis; porro post electionem novi archiepiscopi, Ludovici Barlamontii, a canonicis B. Mariæ Cameracensis celebratæ sunt exsequiæ Maximiliani in choro Basilicæ B. Mariæ decimo septimo die Octobris; hic exstructa erat ædicula lignea, ubi ardebant viginti et centum cerei, et quinquaginta pauperes, omnes induti togis nigris, tædas tenebant. Hoc celebre munus honestabant præsentia episcopi Atrebatensis et Namurcensis et quamplurimi venerabiles abbates, Acquicinctinus et Hasnoniensis aliique viri nobilitate illustres. Tornacensis missam celebravit et Atrebatensis defunctum laudavit[2].

1. Arn. Raissius *Belgica Christiana*, p. 184-185. — *Corresp. de Philippe II*, t. II, p. 150. — Gachard, *Bibliohèque Nationale à Paris*, t. II, p. 494. — Le Glay, *Recherches sur l'église métropolitaine de Cambrai*, p. 53, 64, 85.

2. Fr. de Bar, *Op. cit.*, p. 145. — Sepulcrum Maximiliani die 9 mensis Octobris 1822 apertum est ossaque eruta. Erant juxta chorum a sinistra, in fossa lapide quadrato facta : ejus in parietibus insculpta crucis imago et insignia religiosa. In capulo querceo ossa erant. Capsulæ junctæ erant tres, quarum maxima in arcæ formam vasculum stanneum linteo involutum continebat, in quo videbatur esse sanguis concretus e cordis ventriculis et majoribus venis extractus. In alia capsula, minima et rudi, erant cordis reliquiæ. In tertia archiepiscopi esse pallium inscriptio latina, in superiore capsulæ tabula incisa, declarabat. Le Glay, *Op. cit.* p. 65-66.

CONCLUSIO

In Maximiliani sepulcro hæc erant verba :

D. O. M. S.

Maximiliano a Bergis, primo Archiepiscopo, Duci Cameracensi, Comiti Cameracesii, Sacri Imperii Principi, qui anno MDLXV synodo provinciali habita, Concilii Tridentini decreta primus in Belgio promulgavit, dein a Comitiis Imperii Augustæ Vindelicorum reversus, alteram synodum diœcesanam habuit, fidem catholicam adversus nascentes hæreses non minus feliciter quam strenue tutatus est, seditiosorum hominum motibus, summa prudentia in limine compressis. Tandem cum ex celebri comitatu Annæ Austriacæ Philippi II futuræ conjugis, in Hispaniam proficiscentis, ipse Bergis ad Zomam secessisset, apoplexia correptus IV Kalendas Septembris Anno MDLXX archiepicopatus sui XIV subito occubuit, relato huc defuncti corpore.

Ludovicus de Berlaymont ejus successor F. C.

Tu animæ, o lector, bene precare [1].

Illa autem inscriptio pauca tantum de Maximiliani vita refert. Qui fuerit, quid egerit non omnino denuntiat : illam certe, quæ nobis præcipue eum commendavit, virtutem prætermittit. Etenim non modo fidem catholicam adversus nascentes hæreses feliciter ac strenue tutatus est,

1. Arn. Raissius, *Belg. Christ.* p. 84-185.

seditiosorum motibus summa prudentia in limine compressis, sed, cum plerique supplicia laudarent, ipse clementiam laudavit.

Non fuit Maximilianus vir præstantissimus, nec primas in Belgio tulit. Sed eorum, qui secundarum partium fuerunt, in locum principem venit, nec, ob complures causas, quas in hujus operis capitibus edisseruimus, indignus nobis visus est qui ex oblivione extraheretur.

Maximilianus enim Cameracensem archiepiscopatum obtinuit, cum res ita se haberent ut archiepiscopus Cameracensis non posset non in sexti decimi sæculi annales referri, quippe qui et comes Cameracesii et archiepiscopus provincias magnæ Belgii partis hæreticis bellis turbatas administraret. Et Cameracesium illud, cui præerat Maximilianus a Bergis, ad tria regna, Germaniam, Galliam, Belgiumque, pertinebat, in quæ tunc omnium oculi mentesque intentæ erant, et regnorum illorum historiæ Cameracesii Maximilianique historia adscribenda est.

Adde quod Maximilianus a Bergis non quivis unus erat, quippe qui nobili loco natus esset et ipse, sese in pacificationem inter seditiosos Albanumque interponens, magnitudine animi quadam eminuerit: nec honestius consilium tunc adhibere potuerit quam si inter factiones pariter feroces non religionis libertatem, quæ quidem ab episcopali dignitate et temporibus abhorrebat, sed pœnarum laxamentum veniamque generalem prædicaret.

Si quid egerit breviter complectimur, omittamus tamen quomodo Imperii Germanici princeps se gesserit; cum hoc ipse præcipue quæreret ut Cameracesium extra jus dominiumque Germaniæ esset et omnino a Germanicis rebus descisceret.

Idem, quatenus episcopus agebat, arbitrabatur non certius hæresim restingui posse quam expurgandis ecclesiæ catholicæ vitiis quæ hæresim genuissent: itaque laboravit ut presbyteros suæ diœcesis corrigeret, improbos detruderet eorumque in locum honestiores supponeret, et

synodos convocavit ut servarentur decreta Tridentina, quæ et digniores sacerdotali munere viros factura et ecclesiam catholicam stabilitura existimabat.

Cum ipsum Cameracesium hæretici infestum habuerunt, Maximilianus nihil omisit quod fidem catholicam in suo comitatu restitueret: primum Galliæ fines speculatus est, ubi hugonoti, Condæo duce, et Cameracesium et Belgium sollicitabant, et de eorum insidiis Margaritam Albanumque admonebat, ne cum Gheusiis communicarent. Deinde nascentem hæresim Cameraci feliciter compressit, Castelli Cameracensis et episcopi et comitis auctoritatem periclitantem ita servavit, ut in perpetuum a Cameracesio calvinianos ejecerit; Valentianis denique, ubi magistratus, civitatis privilegiorum tenacissimus, episcopo hæreticos insectanti obstabat, ipse tantum ut episcopum decebat, egit.

In Cameracesio quidem Maximilianus a Bergis nonnullos pœna affici passus est, et opportune in seditiosos animadvertendo seditionem compressit, catholicamque fidem sustinuit. Quanquam in ejus provincia nonnulli capite puniti sunt, extra Cameracesium, cum rebus Belgicis interfuit, semper clementiam laudavit, quod in Belgio non hæresis seditionisque ductores tantum, sed et omnes, qui eos imprudenter secuti erant, pœnas expendebant et in perpetuum suppliciis Belgas consternare quasi unica gubernandi ratio videbatur. Itaque veniam petentibus quam acriter repugnabatur! Maximilianus ita die quadam Belgicis rebus et veniæ desperavit, ut episcopatum deponere ipsi in animo fuerit. Illud autem magnæ laudi Maximiliano est quod ipse sponte ad clementiam propensus erat: episcopi enim Cameracensis provinciæ societatem cum illo facere in synodo noluerunt, ut gravem Regi de venia postulationem mitterent; Granvellanus, nobiles marchioque Bergensis non illi eam mentem dederunt ut clementiam prædicaret, sed tantum eum hortati sunt ut dem semper de venia sentiret. Semper igitur sibi quasi

consentaneus, tum prudentium honestorumque presbyterorum exemplo, tum scholis Patrum Societatis Jesu opera instituendis fidem catholicam servandam censet ; ante Albani adventum, Regem ipsum invocat, qui in Belgium sine bellico apparatu veniat nobilesque ac populares infensos sibi humanitate reconciliet; et Albano gubernante Turbarumque Concilio instituto veniam generalem prædicat.

Diu autem venia illa dilata est: cum tandem publicata est, in promulgationis cærimonia Maximilianus missam celebravit et Pii papæ V litteras recitavit: quanquam innumeræ exceptiones quasi irritam illam veniam generalem fecerunt. Maximilianus dignus erat qui in pompa, quam jamdudum et exoptabat et paraverat, fere principem locum obtineret.

Is fuit, id egit Maximilianus a Bergis. Non id in levi habendum videtur conferenti iis quæ plerique eo tempore et senserunt et egerunt. Maximilianus magni consilii suasor fuit. Vehementer quidem dolebat hæresim in dies latius manantem : sed a plerisque de tanti mali remediis dissidebat. In summa vir ille, non ingenio quidem eminentissimus, bene patriæ suæ consuluit, qui in Belgio pacem restituere voluerit, neque reipublicæ ignarum, cum Belgas intellexisset non armis aut suppliciis, sed clementiæ cessuros, immo vere ecclesiæ catholicæ se præsulem præstitit, optimam esse ecclesiæ catholicæ virtutem ignoscere non oblitus.

INDEX CAPITUM

PROŒMIUM

CAPUT PRIMUM

DE MAXIMILIANO A BERGIS

CAPUT II

CAPUT III

CAPUT IV

QUOMODO MAXIMILIANUS EPISCOPALI MUNERE FUNCTUS SIT

CAPUT V

QUOMODO MAXIMILIANUS HÆRESI IN CAMERACESIO CAMERACENSISQUE ECCLESIÆ PROVINCIA OBSTITERIT

CAPUT VI

QUOMODO MAXIMILIANUS BELGICIS REBUS, AD VENIAM GENERALEM IMPETRANDAM SE IMMISCUERIT

CONCLUSIO

VIDI AC PERLEGI,

LUTETIÆ PARISIORUM, IN SORBONA,

A. D. VI IDUS AUG. ANNI MDCCCLXXXXI

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI DECANUS

A. HIMLY

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD

IMP. NOIZETTE, 8, RUE CAMPAGNE-PREMIERE, PARIS